# DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA, DE SUCCESSIONE PRINCIPUM ET...

Digitized by Google

*REVERENDISSIMO, ILLUSTRISSIMO AC EXCELLENTISSIMO DOMINO,*

DOMINO

# FRIDERICO CAROLO,

SACRI ROMANI IMPERII,
COMITI DE SCHÖNBORN-PUECHEIM,
DOMINO IN REICHELSBERG, WEILER, HEUSENSTAM ET MARTINSTEIN
ETC.

ECCLESIARUM, IMPERIALIS BAMBERGENSIS COADJUTORI, ET CATHEDRALIS HERBIPOLENSIS CANONICO CAPITULARI, AD S. ALBANUM MOGUNTIÆ PRÆPOSITO
ETC.

SACRÆ CÆSAREÆ ET REGIÆ CATHOLICÆ MAJESTATIS CONSILIARIO INTIMO, CAMERARIO,
NEC NON
SACRI ROMANI IMPERII
PRO-CANCELLARIO.

*DOMINO ET MECÆNATI SUO GRATIOSISSIMO.*

Digitized by Google

*REVERENDISSIME, ILLUSTRISSIME*

*AC EXCELLENTISSIME*

*DOMINE,*

# DOMINE GRATIOSISSIME.

HAud ſine audaciæ nota exiles has paginas Illuſtriſſimo Nominis Tui jubare muniri præſumerem, niſi innata gentis Tuæ affabilitas & gratia, in liberales etiam litteras favor me ad hoc animâſſet. Te equidem omnis Eruditionis Excellentiſſimum publica Fama deprædicat, & litteratorum Mæcenatem præſtantiſſimum cuncti celebrant,

Digitized by Google

lebrant, tuos pro Patria, & Imperio exantlatos labores tota Aula Cæſarea jam dudum obſtupuit, Te Eminentiſſimi Principis Electoris omniumque Illuſtriſſimæ Proſapiæ Tuæ heroum, tum in Pietate, tum in doctrina, omnique virtutum genere Succeſſorem, & Strenuum Æmulatorem cuncti augurantur & ſuſpiciunt. Nolim hic ego laxiore diffundi ſtylo in pertexendis virtutum Tuarum encomiis, aut in percenſendis Illuſtriſſ. Familiæ Schönbornianæ elogiis famâ ſuper æthera notæ: cùm laudanda magis agere, quàm laudatiſſimè de ſe geſta audire malit virtus tua, Infulis pridem, tiaris, ac ipſo Principatu digniſſimma. Hujus igitur virtutis tuæ excitatus ſplendore, ad *Pulchrum hunc fontem* ſtudiorum meorum curſus ſiſtitur, & feſſus Academico labore

bore animus gratiæ tuæ Lymphâ irrigari anhelat, confidenter ſperans, fore, ut qualecunque hocce ſpecimen in ea præcipuè Univerſitate exhibitum; quæ ſub Clementiſſimo Principe è Familia Tuâ floret felicior, Tibi gratioſiſſimo vultu lubeat irradiare; quod in obſequentiſſimam voluntatis meæ teſſeram & animi devotisſimi argumentum hummillimè conſecro, & unâ mecum devoveo.

*REVERENDISSIMÆ, ILLUSTRISSIMÆ EXCELLENTIÆ TUÆ*

DOMINI MEI GRATIOSISSIMI

CLIENTUM INFIMUS

FRANCISC. AUGUSTINUS GREINER, AUSTRIAC. LINC.

Digitized by Google

# PROOEMIUM.

MAteria, quam in Diſſertatione hac ventilandam exhibeo, non quidem privati, ſed Publici Juris partem conſtituere videtur: ſed cùm Studium Juris Publici communi civili aſſociare Themidos Sectatori non modo utilè, imò neceſſarium eſſe nullus inficiabitur; quare de Succeſſione Principum & Illuſtrium [cui themati, quòd in diſcurſibus mundi Politici ſæpius eveniat, anſam præbuit] pro viribus tractaturus, eò quam plurimùm enni-

xus

xus ſum, ut, quantum ſingularis hæc Succeſſio à communibus Legum regulis & ſtatutis declinet, oſtendam, fundamentis à Juris Gentium æquitate & à Moratiorum Regionum more petitis: Exemplis non minùs ac Hiſtoriis quibusdam rem illuſtrare ſtudui, ita tamen, ut brevitati [ne inutilibus verbis pagellas impleam, & longis ambagibus Lectorem offendam] maximè conſuluerim: minimè quidquam in alicujus præjudicium appoſitum velim, ſed auctoritate allegati Doctoris dicta fas ſit excuſare. In diviſione capitum Juris communis ductum ſecutus: Thema autem hoc pro dignitate pertractare in me non recipio, qualemcunque ergo conatum meum æqui bonique conſulat, & in meliorem L. B. accipiat partem.

CAPUT

# CAPUT I.

## DE SUCCESSIONE IN REGNA, ELECTORATUS, PRINCIPATUS ETC. IN GENERE.

### §. I.

QUemadmodum rerum dominia ſuo ſæpe domino, Regna & principatus Capite, Reſpublicas Magiſtratu deſtitutas novimus: cùm nihil in humanis tam firmiter ſit conſtitutum, quod non aliquando diſſolvatur. *l. 35. ff. de Reg. Jur.* quam plurimum autem interſit in Republica, ne dominia in incerto maneant, & quomodo ad illum, qui populo Imperaturus eſt, Regimen perveniat. Hinc varios dominia in alium derivandi modos tam lege naturæ, quàm gentium & civili introductos, non minus conſtat *l. 5. ff. de J. & J.* Hug. Grot. *de Jur. Bell. & Pac. lib. 2. cap. 7. §. 1.* ad Imperia autem & Regna conſequenda apud gentes, plures inter, duplex præcipuè receptus modus occurrit, Electio ſcilicet & Succeſſio: Non quod diſcrimen Summi Imperii aut Summo minoris, ex delatone Imperii per Electionem aut Succeſſionem ſit petendum, quorum Sententiam Grotius *l. 1.*

*c. 3. §. 10. n. 5.* refutat; Sed quia publica Imperiorum tranquillitas perinde viget, prout Regiminis deferendi, propagandique ratio per leges Reipublicæ fundamentales eſt introducta. Natura etenim mortalium cum avida ſit Imperii, & locum principem affectent plures: Sapienter eos reprimit lex Gentium, & velut Caput Regiæ hujus viæ repagulo duplici munit Electionis & Succeſſionis. Beſold. *tract. de Succeſſ. Regia prod. n. 1.* Electio quidem, uti pro inſtituti ratione, Diſſertationi huic minus congruit, modum alterum Succeſſionem pro Ingenio inveſtigare conabor.

§. II.

Electio autem an Succeſſio in Imperiis & Regnis tutior & Utilior ſit, inter Politicos non convenit: variè equidem à variis in utramque partem argumentorum robore diſcutitur: ſic licet præſtantior à nonnullis habeatur Electio, cùm mediante eà optimus ſumi queat, & virtus certior Dux quàm natura ſit; Succeſſio verò quandoque ſuggerit eum, qui minimè idoneus exiſtit. Attamen accuratiùs inſpicienti Succeſſio tutior apparebit ob interregni & ſeditionum ſæpè occaſione Electionis extimeſcendarum incommoda. Minori enim diſcrimine Sumitur Princeps, quàm quæritur, teſte Tacito *1. Hiſt. 56.* major etiam ſolet eſſe Autoritas & Obſervantia in ſuccedentium, quam Electorum regimine, cùm inveteratis ſtirpibus & familiis aliquid Majeſtatis ineſſe non immeritò credatur; Unde multi populi, quos antea Electio turbârat, ad Succeſſionem, tanquam ad ſacram, quod ajunt, anchoram confugêre: Sic in Suecia, Rege Stinckel defuncto, duobus Ericis certantibus de Regno, omnes Suecorum Potentes cum ambobus Regibus occubuiſſe feruntur: nec inibi triſtiſſimi ceſſaverunt motus, usque dum Ope Guſtavi quieti honorique patriæ, totiusque Regni Saluti proſpicientis, in Comitiis Aroſiæ anno 1527. celebratis, Regnum Succeſſorium factum. Beſold. *tract. de Succeſſ. Regia prod.* Knichen *Op. polit. lib. 2. part. 1. c. 3. th. 2.* ubi plures rationes videre eſt.

§. III.

Ad Succeſſionem proinde ut accedam, Succedere in ſenſu

Digitized by Google

ſenſu latiori & magis proprio, eſt uno deficiente alium in ejus locum tranſire; verum in ſenſu civili & accomodo definitur, Jus ſeu facultas moralis cujus vi ad hæreditatis aditionem pervenimus *l. 62. ff. de R. J.* Struv. *in Syn. Jur. Civ. Exerc. 10. th. 43.* jus autem & facultas illa lege firmata ex conjectura voluntatis Domini proficiſci nullus inficiabitur, nihil enim tam conveniens eſt æquitati naturali, inquit Cajus in *l. 9. §. 3. ff. de A. R. D.* quàm voluntatem domini volentis rem ſuam in alium transferri, ratam haberi: ea ſcilicet videtur eſſe dominii vis, ut res ita affectæ in ſocietate humana non niſi voluntate domini in alios derivari poſſint, niſi quandoque hæc voluntas æquitate legis ſit limitata. Quoniam igitur pro ſubjecta materia de Succeſſione ab ordinaria Legis diſpoſitione ordinata, nonnunquam recedente, ſeu modo illo Legitimo Conſequendi regna & Principatus potiſſimùm tractare eſt animus; Eam Succeſſionem hîc intelligo, quæ citra Electionem vel Jure Sanguinis, vel pactorum familiarum, vel alio convenienti modô obvenit; Ut autem rubro conſonam diviſionem ordinandi thematis cauſa ſubjiciam, ex jure noſtro ſpeciali & moderna Conſuetudine Triplicem habeo: Obvenit enim Succeſſio vel ex Lege ſeu ab inteſtato, quæ legitima appellatur, 2do Teſtamento ſeu ultima voluntate, quæ Teſtamentaria, 3tio Conventione ſeu pactis & fœderibus Succeſſoriis, durch Erb-Verbrüderungen / quæ Conventionalis nomine venit; Etſi vero pluribus modis obtingere poſſit jus ſucceſſionis in ſenſu latiori in Regnis & principatibus, hos tamen, ſi ad nominatos ſpecies commode referri non poſſint, nec meum erit pro inſtituto attingere.

§. IV.

Antequàm ulterius progrediar, prænotandum ante omnia arbitror illud Regnum, quod ſucceſſione deferri ſolet, in hæreditarium ſeu patrimoniale, & gentilitium ſeu Legitimum vulgò diſcriminari: hæreditarium ſeu patrimoniale dicunt, ubi habito tantùm reſpectu ultimi Poſſeſſoris vel ex teſtamento, vel eô non conditô, ex cauſa inteſtati; ſic habitô tantum reſpectu ultimi Poſſeſſoris, hæreditarioquè jure

 Regnum

Regnum tranſmittitur. Legitimum ſeu gentilitium verò, quòd univerſæ alicui familiæ eſt collatum & Regni, Legis, vel conſuetudinis providentiâ datur, ubi ſcilicet ad certam perſonam non ut hæredem, ſed ſecundùm generis & ſanguinis prærogativam, continuatione ſerieque immutabili ſumma confertur poteſtas, & alterum ad feudi ex pacto & providentia naturam accedere; Patrimoniale vero feudo hæreditario ſimile exiſtere pronunciat Beſold. *tr. de ſucceſſ. Reg. l. 1. diſſ. 1. n. 4. & ſeqq.* hanc differentiam Regnorum aliis verbis innuunt Puſendorff. *de Jur. Nat. & Gent. lib. 7. §. 11.* Grot. *l. 2. c. 7. §. 12.* ubi in Regnis Succeſſionem vel arbitrio ipſius Regis ſeu pleno modo poſſideri, vel arbitrio populi illud conſtitutum habent: alii etiam illud de populis bello ſubactis, hoc verò de ſponte ſubjectis obtineri dicunt.

§. V.

In Succeſſione verò hac diſtinctione multùm intereſſe patet, enimverò in patrimoniali Regno pro arbitratu, ultimâ voluntate, arrogatione etiaml aut adoptatione ſibi hæredem facere potis eſt Princeps. Liberô etiam votô ad ſucceſſionem ex ſuis eligere filiis, primogenito præterito, imo quocunque modo alienare tale Regnum illi integrum eſt; Sunt tamen, qui tale regnum hæreditarium nempe, dari oppugnant, eo quod liberi homines in Commercio non ſint, ſed reſpondet Grotius *de J. B. & P. l. 1. c. 3. §. 12.* aliam eſſe Poteſtatem dominicam, aliam Regiam, & ſi populus alienatur, propriè non ipſi homines, ſed jus perpetuum eos regendi, quà populus ſunt, alienatur. interim nulla relictâ diſpoſitione, idem ordo in ſucceſſionibus regnorum patrimonialium ſervabitur, qui in aliis Privatorum hæreditatibus, niſi quatenus indoles & incolumitas regnorum ab eodem diſcedere ſuaſerit. Puſendorff. *de J. N. & G. l. 7. c. 7. §. 11.* In Regno legitimo ſcribere hæredem vel alteri quam cui lex defert & exinde jus quæſitum eſt, regnum relinquere, etſi etiam ordinum conſenſus accedit, haud poteſt Princeps; Sic Carolus VII. Galliæ Rex, qui à proprio Patre, ſcitu etiam Parlamenti excluſus, ſucceſſionem Regni Galliæ Filiæ Catharinæ

Digitized by Google

rinæ Henrici Angliæ Regis conjugi adjudicante, ad mucronem gladii ſui appellavit & Imperii habenas è manibus Anglorum felici ſucceſſu extorſit. Cùm verò & hic, ubi uni toti familiæ lex defert Regnum vel Principatum, videtur velle procedere Succeſſionem ad modum reliquarum hæreditatum, niſi quantum illum ad regni utilitatem peculiari ratione temperavit; In quo itaque cum privatorum ſucceſſionibus convenit Regia Succeſſio, ad commune jus remitto, & in quibus ab illo aberrat, quòdque ſingulare hîc occurrere ſolet, demonſtrandum.

# CAPUT II.

## DE SUCCESSIONE LEGITIMA DESCENDENTIUM IN REGNIS, ELECTORATIBUS, PRINCIPATIBUS. ETC.

§. I.

GEneralibus hactenus quibusdam cognitis, de prima ſucceſſionis ſpecie, quæ ex lege ſeu ab inteſtato venit, diſſerendum; Legitima autem ſucceſſio merito hic primas obtinet, tum quod ſolâ Legis autoritate, quæ proinde excellit, non attentâ ullâ hominis voluntate, obtineat, tum etiam, quod à Regnis & Principatibus ſucceſſio teſtamentaria regulariter exulare dicatur: licèt aliàs, quamdiu ſucceſſio ex teſtamento ſperatur, tamdiu non ſit locus ſucceſſioni ab inteſtato *l. 39. ff. de acquir. hæred.* hanc ſucceſſionem, quæ ab inteſtato dicitur, ex jure gentium voluntario ſeu ex conjectura voluntatis naturalem habere originem luculenter ſatis demonſtrat Grotius *l. 2. c. 7. & 9. §. 6.* cùm enim ea dominii ſit vis, ut domini voluntate etiam mortis cauſa in alium transferri valeat, hinc in dubio juſtè præſumitur, quemque id voluiſſe quòd naturali inclinationi ac officio quàm maxime congruit, Puſendorff. *l. 4. c. 11. §. 1.* neque afferri poſſet ratio, cur in ſucceſſionibus ab inteſtato bona certo

 potius

potiùs hæredi, quàm cuilibet occupanti cedant, niſi eam ex conjectura voluntatis defuncti quæſiveris. *Conf. l. 8* §. *1. ff. de Jure Codicil.*

§. II.

Quoniam igitur naturalis inclinatio regulariter eò feratur, ut quàm optimè ſit proſpectum iis, qui proximè ex nobis deſcendunt, & quorum curam peculiarem natura nobis injunxit; ratio naturalis autem quaſi lex quædam tacita liberis parentum hæreditatem addicit *l. 7. ff. de bon. damnat.* quod & in feudis ita conſtitutum *2. feud. 11. & 50.* cùm etiam vivo patre quodammodo domini exiſtimentur *l. 11. ff. de lib. & poſthum.* hinc tam in patrimonialibus quam gentilitiis regnis prima ſemper ratio habetur deſcendentium, ſed cùm deſcendentes hæredes non una ratione à ſe invicem diſtinguantur, ita ut ratione ordinis naſcendi alii primogeniti, alii poſtgeniti: reſpectu nativitatis alii legitimi, alii illegitimi: intuitu demum ſexûs, maſculi alii, alii fœminæ ſint, quæ differentiæ ratio in ſucceſſione in Regna, Principatus, aliaque familiarum bona attendi quam maximè ſolet, quare paucis nunc ordine perluſtrare curæ erit.

§. III.

Proinde primô locô diſpiciendum, quomodo & quo diſcrimine, ratione temporis liberi, qui maturiùs ſeriùsque in lucem editi ſunt, ad ſucceſſionem noſtram admittantur; nullum hic ignorare arbitror ad pacificam terræ gubernationem & defenſionem inter cœtera expediens eſſe, & apud cultiores gentes pleroſque perpetuô ferè uſu obſervatum, ut unus primogenitus, excluſis poſtgenitis, Imperio admoveatur, ne per nimias diviſiones, illuſtres familiæ vileſcerent, & præter nomen dignitatis nil retinerent. *l. 2. C. quando & quib. quart. pars deb.* quin & non parum intereſſe videatur, Subditum pluribus non ſubjici dominis; Succeſſionis hanc inæqualis ſpeciem, quæ primogenitura dicitur, uno velut gentium Nationumque conſenſu inſtitutam, à naturali erga primogenitos affectu, eorundemque præſtantia producit. Tiraquell. *præf. de Jur. Primogen. n. 37. & ſeqq.* his tamen fundamentis Jus

Primo-

Primogenituræ multùm vacillare alii opinantur, Puſendorff. *l. 3. c. 2. §. 5.* Georg. Ludolph. *tract. de Jur. Primogen. part gen. Aphor. 6.* cùm non videtur fortuitus eventus, quem nulla humana induſtria evitare licuit alicui adverſus alium, qui cætera æquales ſunt, prærogativam aut Jus quoddam poſſe tribuere: quare Juris Primogenituræ originem ex voluntate liberâ diſponentium ſecutisque dein Legibus & moribus petendam cenſent: quod ſi autem latiori ſignificatu illud naturæ jus intelligatur, quod ratio æquius, melius cæteris pariter ſe habentibus oſtendat, etiam naturali juri hæc primogenitorum prærogativa adſcribenda erit; Itter. *de feud. Imper. c. 12. §. 5.* neque ideo primogenitura juri naturæ, quod hæreditates æquâ lance inter filios omnes diſtribuit, *l. 1. C. unde liberi.* adverſatur, cum publica Imperiorum ſalus ſuprema ſemper ſit ratio. Hoc primogenituræ jus in maximis regnis, Electoratibus, Principatibus, aliisque illuſtrium familiarum Caſtris ab illorum incunabulis vel longis ſaltem moribus & pactionibus ad hunc usque diem fuit obſervatum. cùm enim Imperiorum & principatuum ſalus multum inde dependeat, ſi penes unum maneat regendi poteſtas, nec à pluribus pro indiviſo teneatur, juxta Poëta:

*Nulla fides regni ſociis, omnisque poteſtas*
*Impatiens Conſortis erit:*

firmius equidem futurum eſſe regnum, ſi penes unum remanſiſſet, quam ſi portionibus inter filios divideretur, Juſtin. *l. 21. c. 1.* ne enim diſcordiis exitialibus fratres implicentur, optimum erit forti naſcendi rem committere, quam omnium ferè gentium Conſenſus velut ab ipſa natura jactam conſtanter amplectitur Puffendorff. *l. 7. c. 7. §. 11.* & inde primogeniti legitimam totum eſſe regnum, principatum & comitatum, loqui amant, jusque primogenituræ à naturali regnorum ſtatu & qualitate ſeperari non poſſe, Tiraquell. *de Jur. primogen. qu. 5. n. 1.* in Electoratibus Jus primogenituræ expreſſe ſancitum eſt in Aur. Bull. *tit. 7.* quod etiam de regalibus Imperii feudis annuere videtur Rumelin ad *Aur. Bull. p. 3. diſſ. 5. th. 4.*

Limi-

Limitationem tamen hoc nonnunquam patietur, ſi enim plures ducatus, imprimis ſi procul diſſiti, qui ſinguli ſatis habent virium & potentiæ, cumulentur, tum primogenito quidem præcipuum, reliquis tamen fratribus etiam ditiones quædam aſſignantur. Exemplo ſunt filii Conſtantini, Poſteritas Caroli Magni. Sereniſſ. Domus Auſtriaca in lineam Carolinam & Ferdinandinam ante diviſa; ita quoque præeminentia, etiam vivente illo, cui ſuccedunt, gaudent, certisque titulis excellunt proximi regnorum ſucceſſores: ſic in Imperio Romano-Germanico, ſi Romanorum Imperatori ſucceſſor denominetur, Regem Romanorum ſeu Germaniæ honorant. in Bohemia antiquitùs regni hæres princeps Glazenſis ex Comitatu Glaz, & his adhuc temporibus in Hiſpania Infantem Arragoniæ & Caſtiliæ & Principem Aſturiæ, Primogenitum appellant. in Gallia primus ſucceſſor Delphinus, Gall. *Dauphin* à Delphinatu (quem Principatum à Principe Umberto ultimo ſuæ familiæ Delphinatûs poſſeſſore Carolo IIX. Regi Franciæ dono dediſſe vel vendidiſſe ea lege, ut Coronæ proximus hæres Delphinus ſalutaretur, & provinciam illam tanquam Imperii feudum ab Imperatore recognoſceret, Hiſtorici memorant) in Portugallia Braſiliæ, in Anglia Principem Walliæ, in Suecia Principem Finlandiæ, in Dania Principem Norwegiæ proximiorem Coronæ ſucceſſorem nominant.

§. IV.

Differt autem primogenium à Majoratu, qui paſſim etiam inter illuſtres familias receptus eſt, ubi ſeniori familiæ caſtrum, vel ſimile quid defertur: in eo ſcilicet, ætatis prærogativâ, qui in tota familia alios ætate antecedit, licet ex remotiori geniculo, ſuccedit, ita nec jus repræſentationis hîc ſibi locum vendicat. Betſius *de pact. famil. Illuſt. c. 8. fol. 461.* Springſeld. *de Apanagio c. 5. n. 7. & ſeqq.* primogenitus autem dicitur, qui inter liberos unius lineæ ſive alicujus parentis de familia aliqua primùm eſt natus, *cap. qui prior. de R. J. in 6.* & ea eſt primogenituræ natura, ut de linea in lineam progrediatur, & ideo, quamdiu ſupereſt, aliquis ex ea linea, in quam ſemel tranſitum fecit Primogenitura, qui capax ſit, tamdiu cæte-

[illegible] repelluntur. His cognitis pa-[illegible] repræſentationis in Primogenitura obtineri, ita ut nepos Primogeniti ſuperſtitem patruum excludat, non enim [illegible] ſed jus uni lineæ quæſitum hic attenditur. [illegible] ſequitur naturam ſurrogati *l. 10. §. 2. ff. ſi* [illegible] patrino patrocinari videtur ratio, quod parenti [illegible] nepos, nepoti tamen ſubvenit juris repræ-ſentationis [illegible] quod in tantum verum putatur, ut etiam [illegible] primogenito patruo præferatur, niſi conſue-tudines [illegible] interdum pro patruo pugnent; ſic olim [illegible] Scoti, Normanni, Vandali, Longo-bardi [illegible] Nepotem Spartani, Hiſpani, Angli, & alii plures. Otto primus fertur hanc Controverſiam Ju-dicio [illegible] ſeu Duello commiſiſſe, ubi nepos vicerat. [illegible] Moſcovitæ, ſed reſtrictius Patruum præferunt, ſi [illegible] impuberes filius relictus ſit, tunc patruus ſceptrum acce-pit, juſt. Lipſius [illegible] *polit. 1. c. 4.*

§. V.

An autem tanta ſit vis Primogenituræ, ut etiam pro-[illegible] perpetuum inhabilis ad regnum excludi non valeat [illegible] diſceptatur. Affirmari videtur, cum populus [illegible] lege Principi ejuſque Succeſſoribus Regis poſteros in lumbis quaſi parentum elegiſſe cenſeatur. Quamvis non abs ratione etiam contrarium defenditur, ſemper enim con-[illegible], ut Succeſſor ad imperandum ſit idone-[illegible] lex vel conſuetudo ſucceſſionis non ſit contra regni [illegible] in cujus ſalutem introducta, interpretanda, [illegible] *c. quæ favor. de R. J. in 6.* Tiraquell. *de Pri-mogen. quæſt.* [illegible] *n. 16. & ſeqq.* Beſold. *tract. de Succeſſ. Regia, lib. 1.* [illegible] ubi hoc tamen ſine præjudicio ejus prolis intelli-gi debere ait, cum pater in præjudicium ſuæ progeniei renun-ciare ſucceſſioni ſibi delatæ [illegible] non eſt. Primogenitus er-[illegible] nondum rege ſalutato, quoad illud regnum præfer-[illegible] primus adepto jam imperio natus. *l. 6. ff. de Senat.* [illegible] *l. ſenat. C. de Dignit. l. fin. C. de Decurion.* In con-[illegible] ſententiam, alii etiam diſtinguunt, ut, ſi

dignitas Regia competiit patri ex avito genere, tunc genitum ante regnum acquiſitum jure primogenituræ gaudere, ſi vero ex cauſa adventitia, filium natum poſt adeptum regnum admittant: Ita, inter Darii Perſarum Regis filios acerrimam exortam eſſe contentionem, Hiſtoria narrat, Artobazanem Darius adhuc privatus genuerat, Darium vero ſecundum filium poſt adeptum regimen, uterque de regno contendit, Darius evicit; ſic etiam inter Ludovicum Sforza, & Galeatium Viſconti circa Ducatum Mediolanenſem ſimilem controverſiam motam ferunt. Otto Magnus Imperator ſucceſſit patri ſuo Henrico Aucupi, licet natus erat patre adhuc privato exiſtente, contradicente fratre ſuo Henrico, poſt Coronam acquiſitam, nato. Cæterum æquisſimum eſt, ut ille, quem natura genuit primum, ſit etiam prior in ſucceſſione Regni, quia jus primogenituræ eſt à natura, neque hoc mutatur acceſſione dignitatis, Hug. Grot. *l. 2. c. 7. §. 29.* Schambogen. *ad Inſtit. lib. 3. tit. 9.* Primogenituræ Jus quo pacto ſoleat conſtitui, paucis adhuc inferius attingere, ſtat animo.

§. VI.

Tam jure gentium, quam ſapienti proviſione majorum, publicæ intuitu ſalutis, primogenitus relicti regni, provinciæ vel Dynaſtiæ dominium, regale etiam Imperii feudum Unicus & ſolus Conſequitur, & regni incrementa, provinciæ ſcilicet noviter partæ; dummodo illæ coronæ Unitæ, aut regni viribus acquiſitæ; ſic & Bombardæ, Aulæque ſupellectilia, & quæcuncque ad provinciæ Utilitatem ſunt deſtinata, illi cedant: ita ſummo jure refert Betſius *de pact. famil. Illuſtr. fol. 730.* In Italia ſua ætate fratri minori ex Potentiſſima familia, (quam Medicæorum dicit Myler ab Ehrenb. *de Princ. & Stat. Imper. p. 1. c. 21. §. 20.*) Theſauri diviſionem fuiſſe denegatam, magna quidem ipſius indignatione; hoc tamen ipſe Betſius *dict. loc.* reſtringit, ad principatus juri primogenituræ principaliter ſubjectos, quoniam iniquum videtur illa, quæ ad Conſervationem vel amplificationem Reipublicæ Conferuntur, ab aliis in privatos uſus transferri; idemque jus etiam obſervari tradit in familiis illuſtribus, in quibus lege Regni Univer-

ſali

ſali jus primogenituræ locum facit; quoad illos verò Principatus aut Comitatus, in quos pactis aut Conſuetudine familiæ hoc jus introductum, tunc quid inter paciſcentes actum ſit, inſpiciendum; ſi de eo non liquide appareat, pro rata primogenituræ ſtatuendum, uti ſi ex aſſe ſit conſtituta theſauri à Subditis ad publicam utilitatem collecti primogenito cedant, ſi jure præcipui aut excipui, pars illa, quæ ex præcipuo collecta eſt, & ad illud propriè ſpectat, etiam eidem reſervetur; ſin verò ex alia ditionis parte pro rata eidem attribuatur; reliquo fratribus minoribus tribuendo, ſi quid etiam ex privatis reditibus in privatos uſus ſeponatur, æqualiter inter liberos eſſe diſtribuendum, nullus dubitat.

§. VIII.

Non tamen excluſos à Conſortio regiminis reliquos fratres, Barbararum nonnullarum gentium more, aut perpetuò Caſtro Carceris inſtar, Exemplo Abyſſinorum, mancipare, aut crudelitate Turcarum Trucidare, aliisque iniquis modis patrio è ſolo ejicere, populi politiores admittunt: ſed natu minoribus vel annuæ penſiones, vel certa quædam portio, vel provincia regni, quam non Regis teneant nomine, aſſignatur, unde ſecundum natalium ſplendorem honorificè ſuſtententur; licet hujusmodi portio poſtgenitis non per modum diviſionis, ſive jure proprietatis, & tanquam pars paternæ hæreditatis, ſed per modum proviſionis & jure alimonii data, atque ideo apanagium hoc alienari nequit, ſed aucta familia omnibus ex ea deſcendentibus ſua proviſio & alimenta ſunt asſignanda, Springsfeld de Apanag. *c. 11. n. 22. & ſeqq.* Beſold. *d. diſſ. 5. n. 1.* ita ut nec ibidem Juri primogenituræ locus ſit. Myler ab Ehrenbach. *de Princ. & Stat. Imper. p. 1. c. 22. n. 6.* Rumelin. *ad Aur. Bull. p. 3. Diſſ. 5. th. 13.* quod & Carolus IV. *Aur. Bull. c. 2. §. 2.* de Electorum fratribus recte decernit; Hanc asſignatam portionem Apanagium German. eine Abfindung / Gall. *un Apanage*, Ital. *vita & militia*, ſolent vocare, de cujus nominis Origine videſis Springsfeld *de Apanag. c. 1.* Bets. *de pact. famil. fol. 333.* de Apanagio quidem plura dicenda forent, quæ tamen, cum Succeſſio, quæ no-



Digitized by Google

ſtri inſtituti eſt, in Apanagio, aliarum ad inſtar ſucceſſionum, ſtatuta & pacta de illo conſtituta attendere, neceſſe habeat, ſuperſedeo.

§. IIX.

Ulterius publica Regni & Principatûs ſalus exigit à Succeſſione removeri illos, qui nati non ſunt ſecundum patriæ leges, quales ſunt filii naturales, ſeu nothi extra mamonialem ſcilicet complexum prognati, quia inter generoſas nationes ad contemptum patent, quorum matrem pater juſto conjugio dignatus non eſt; aſt in Regnis quam maxime expedit perſonam Regis eſſe venerabilem, & quam minimùm controverſiarum circa eandem poſſe moveri, Grotius *l. 2. c.* §. *16.* naturales enim liberi de domo vel familia, ſive ut Itali loquuntur, de Caſata, non ſunt, *l. 4. ff. unde Cognat. l. 19. ff. de ſtatu hom.* Hinc & in Imperio noſtro ab Electoratûs Succeſſione expreſsè arceri conſtat, ex Aur. Bull. *c. 7.* In Gallia tamen ſub regno Mervingorum Pepingiorumque regalis ſucceſſionis capaces exiſtimatos referunt eos, qui non ex plebejis abjectis, ſed mulieribus nobilibus erant concepti, ſic in Portugallia Joannem I. & Antonium nothos ad thronum aſcendiſſe, notum eſt; ac ne quidem ſummus imperitans Princeps filium naturalem in præjudicium legitimi hæredis ad Regiam ſucceſſionem habilem reddere valet, quod ſi verò per ſubſequens matrimonium legitimi effecti, poſſe forſan ſuccedere, dubio caret, cum nihil à legitimis differre dicantur, *Nov. 74. c. 2. &c. l. 10. C. de natur. liber. cap. tanta, X. qui filii ſint legitimi.* & ita Robertus III. Rex Scotorum Roberti II. filius naturalis per ſubſequens matrimonium factus fuit legitimus, Myler. ab Ehrenbach. *Gamologia perſonar. Illuſtr. c. 24. §. 2.* licet ex longiſſima conſuetudine nec taliter legitimatos in feudis majoribus vel regalibus admitti, ſint, qui demonſtrant, Knichen. *l. 2. polit. part. 1. c. 3. th. 6.* Beſold. *de Succeſſ. Regia l. 1. diſſ. 9. n. 11.* quod & diſpoſitioni feudali videtur conſentaneum, *2. feud. 26. §. naturales.* Sed contrarium potius moribus præſertim Germaniæ certum; legitimatos ſcilicet & in regalibus feudis ſuccedere, pronunciant. It-

ter.

ter. *de Feud. Imp. c. 14. n. 2.* Myler. ab Ehrenbach. *Gamolog. c. 24. n. 2.* quando autem vir illuſtris cum fœmina inferioris conditionis hac lege matrimonium expreſsè contrahit (ſicut ab Imperii noſtri principibus ſæpius factum conſtat,) ut liberi, qui ex eadem naſcuntur, certa quadam portione contenti, à reliquis bonis paternis abſtineant, quod Connubium ad Morganaticam vocare amant: tales filios â feudali ſucceſſione arcendos, diſertè ſtatutum in *cit. 2. Feud. 26. §. filii*, quod ſi autem hæredes alii deficerent, an tunc admittendi liberi ex matrimonio Morganatico ad feudalem ſucceſſionem? variè concludunt. Inſpectis conventionum tabulis, mentem contrahentium haud difficulter concludi poſſe, arbitror, ſi verò ne conjecturâ quidem voluntas paciſcentium inde aſſequi liceat, in dubio pro morganicis liberis per *2. feud. 29.* & aliis rationibus pronuntiandum eſſe exiſtimant. Itter. *de Feud. Imp. c. 14. §. 10.* vid. Myler. ab Ehrenbach. *Gamolog. c. 6. §. 35. & ſeqq.* apud Venetos etiam per ſubſequens matrimonium legitimatos nec ad feuda nec ad fideicommiſſa admitti, notat Knichen. *ſup. cit.*

§. IX.

Non impari ratione in Regnorum & Ducatuum, Succeſſione excluduntur adoptivi; Sicut à feudali etiam repelluntur *c. 1. 2. feud. 26.* quia adoptio jus ſanguinis non tribuit, *l. 2. ff. unde Cognati.* nobilitas autem generis verè Regii magis venerandos efficit Reges, majorque de eis ſpes concipitur, Grot. *l. 2. c. 7. §. 16.* Tiraquell. *qu. 8. n. 3.* quamvis nonnulla in contrarium recenſeantur exempla, ubi adoptione regna obveniebant: ſic Tiberius Auguſto, Nero Claudio, Juſtino Majori Juſtinianus per adoptionem in Imperio ſucceſsêre, noviori tempore etiam Henricus vel potius Ericus Pomeraniæ Dux à Margaretha Daniæ, Sueciæ & Norwegiæ Regina; & Sigismundus à Ludovico Hungariæ Rege cum pleno ſucceſſionis jure adoptati; ſed hoc in hæreditariis ſolum regnis & Principatibus obtineri, Doctorum eſt traditio, Knichen. *ſup. cit.* unde notanter auſim colligere, Hungariæ Regnum jam illo tempore hæreditarium fuiſſe, hinc ad Auguſtiſſi-

mam domum Auſtriacam non modo ſucceſſorio, ſed hæreditario jure eſſe devolutum, quod & ex *cap. licet X. de voto.* DD. deducunt. Beſold. *Synopſ. polit. c. 5. §. 4.*

§. X.

Alterâ probationis ratione deſumpta è ſexu, in Succeſſione Principum, mares regulariter fœminis præferuntur; naturæ enim legibus ita comparatum, ut qui cæteros animi dotibus, & ingenio ſuperat, inferioribus imperet; & hoc omnium fere gentium recepto uſu, non ſolum ob incommoda, quæ ſuboriri ſolent, ſi fœmina ſceptrum obtineat; equidem omnium bonorum, quæ imperium vel juriſdictionem habent, fœminæ jure ſcripto reputantur incapaces, *l. 3. §. 3. de muner. & hon. l. 12. §. pen. ff. de Jud.* uti nec ad Succeſſionem Feudalem maſculis extantibus aſpirare poſſunt, *1. feud. 1. §. hoc autem. 1. feud. 8. §. fin.* tum quia ſolùm maſculi, non etiam fœminæ familiam & agnationem conſervant. *l. 195. §. f. de V. S. §. 1. Inſt. de legit. agnat. ſucceſſ.* hinc non immeritò damnata eſt illa Tarentinorum conſuetudo, ut filii nullam acciperent hæreditatem præter arma, quibus pugnarent, & filiæ ſolæ omnium facultatum ex aſſe hæredes eſſent. Licet verò miſſis adhuc pluribus pro aſſerto fundamentis, à Succeſſione Regia tam ad evitandas Gynæcocratias, quam ob alias notatas rationes meritò removendas, politici autumant, ſunt tamen, qui expreſsè hoc in controverſiam ducunt, & nonnullis argumentis contrarium agitare ſolent, ut videre eſt apud Knipſchild. *de fideicommiſſ. famil. cap. 3. n. 24. & ſeqq.* Tiraquell. *de jur. primogen. quæſt. 14.*

§. XI.

At quamvis fœminam regulariter ab imperio arceri dicatur, attamen non intelligitur planè ſemper illas ab hæreditate Regia excludi, ſed potiùs jus illarum ob exiſtentiam maſculi ſuſpenditur, ita ut his non extantibus admittantur; ſic recenſentur Reginæ fœminæ, quæ arte regendi optimè inſtructæ publico minimè damno fuêre; ſic Aſſyrii Semiramidem, Cœnobiam Romani, Scythæ Tomiridem, Margaretham Dani, Mariam Hungari, Angli Eliſabetham, Chriſtia-

nam

...hæc notæ, quemadmodum fœminam
...eodem gradu & eadem linea ſi ſit uterque:
...infint regnorum ſucceſſionis, etiam Agna-
...conjunctis filiæ præferuntur, & in hoc
...deviare patet à feudali, ubi fœminæ
...feudo nullus locus, maſculus donec ſuper-
...de feudo inveſtitus; licet in nonnullo
...conſtituta eadem natura, ut ultimo
...defuncto ad Imperii regimen fœmina ad-
... *de Reg. Succeſſ. 12. n. 6.* adhuc adverten-
...Regali fœminæ ſi removeantur, regulari-
...ex fœmina deſcendentes excluſi cenſen-
...regula, ex fœmina prognatos ab eo jure gra-
...quo fœmina ipſa ſubmovetur; Forſter. *de*
...Eduardus III. Angliæ Rex, Philippi Regis
...nepos, Philippo Valeſio agnato remotiori
...: Inveniuntur tamen regna, ubi leges re-
...ſucceſſionem fœmineam plane improbant,
...illa Regni Galliæ lex, quam Salicam qua-
...potius de terra, quæ devicto hoſte militibus
Francicis fuit deſignata, nominant & ſub
...421. Latam autumant; hac autem cautum
... *in mulieris hæreditatem tranſeat portio, ſed*
... *terram proprietatis ſuæ poſſideat*; quod jugiter
...vant Galli in ſucceſſione Regia; unde pro-
...nent, Gallice: *Les lys ne ſcavent point filer.*
...; cæterum legem Salicam pro ſubditis
... ad familiam Regiam pertinere, ſed potius
...conſuetudine excluſionem filiarum à Regno
... Reinkingk *de Regim. Sec. & Eccleſ. l. 2, d. 2, &c.*
... *de Pact. Famil. c. 7. fol. 201.*

§. XII.

...jus quoque ad fœminas pertinet, unde
...matertera potior, & gnata primogenita
...filio præfertur Beth. *de pact. famil. fol. 48.*
...primogenituræ inter privatos conſtitutor
quod

quod ad principatuum ſucceſſiones etiam quidam trahunt. Beſold. *de Succeſſ. Reg. l. 1. Diſſ. 12. n. 11.* Quod ſi ultimus Regni ad fœminas tranſitorii poſſeſſor in Liberorum ſolitudine moriatur, tunc ad proximum ex maſcula linea deſcendentem vel maſculum vel fœminam, vel ſi talis non extet, ad maſculum ex fœmina prognatum, vel fœminam gradu proximiorem ſucceſſio ſpectat, jure tamen primogenituræ, & linearum prærogativâ ubique obſervatâ. Beſold. *cit. n. 6.* quamvis hæc omnia tanquam evidentia affirmari non velim; nam & in contrarium ſententias adferri, perſpicienti patebit. Sic in Regno Scotiæ olim Davidis Hundintonii (qui Regis Alexandri ſine liberis decedentis erat Patruus) ex majore filia neptis Dornagilla prælata fuit Roberto Bruſſio, ex filia minore ejusdem Davidis Pronepos, licet varias ſententias Jurisperitorum hoc de caſu notet Lesle *de Orig. & reb. geſtis Scot. l. 6.* in Luſitania etiam ante ſæculum mortuo Henrico ſine liberis fœminarum ſucceſſio multos doctos excitavit calamos, cujus ſchema vide apud Beſold. *l. 1. d. 12. n. 8.* Controverſiam famoſam exhibet ſucceſſio ducatuum Juliaci, Cliviæ, & Montium; Elector equidem Brandenburgenſis jus repræſentationis urgebat: Princeps Neoburgenſis in prærogativa gradûs ſe fundabat, aliorumque plurium Illuſtriſſimorum competentium, quisque jure ſuo nitebatur, de quo vid. Limnæi *Jus publ. enucl. l. 3. c. 4.* Hiſtoire d' Audifret *tom. 3. p. 296.*

## §. XIII.

Quæſtio adhuc ſupereſt, quæ occaſione filiarum non raro ventilari ſolet, an ſcilicet, ſi filia, cui ex jure primogenituræ deficientibus maſculis competeret ſucceſſio, renunciaſſet juri hæreditatis, hæc renunciatio damno ſit liberis? ſub diſtinctione tradere videtur Grotius *l. 2. c. 7. §. 26.* quam à modo habendi regna deſumit, ita ut in hæreditariis, qui jus à ſe abdicat, in liberos nihil poſſit transferre, at in Lineali ſucceſſione patris factum nocere non poteſt liberis natis, quia ſimul atque exiſtere cæperunt, jus proprium eis quæſitum eſt ex lege: ſed nec naſcituris; quia ex populi dono ſuô tempore jus quoque pertinet ad illos. Illud tamen intereſt-

inter

inter natos & naſcituros, quod naſcituris nondum quæſitum ſit jus, atque ideo auferri illis poſſit populi voluntate, ita ut per ratam talem abdicationem nihil juris ad ejus liberos poſtea natos iri delatum non ſit dubitandum, per axioma in *l. 31. ff. de R. J.* fruſtra igitur sereniſſimæ familiæ Auſtriacæ juribus in ſucceſſione Hiſpanica, miſſis aliis fundamentis, obnituntur Mariæ Thereſiæ Reginæ Franciæ, Philippi IV. Regis Hiſpaniarum filiæ primogenitæ, nepotes Galliæ Principes; Obſtat enim iis non modò antiqua lex Hiſpaniæ de non admittendo ad Coronam ſucceſſore Gallo; quæ exſtat in nova Collect. Anno 1646. Madriti impreſſa, ſed repetitæ cum conſenſu procerum, qui populi vices obeunt, conſtitutiones, filiarumque Hiſpanarum Galliæ Regibus nuptarum ſpeciatim Mariæ Thereſiæ renunciationes juratæ; pacis denique Pirenææ tabulæ, jurisjurandi religione firmatæ.

# CAPUT III.

## DE

## ASCENDENTIUM ET COLLATERALIUM IN REGNIS, ELECTORATIBUS, PRINCIPAT. SUCCESSIONE.

### §. I.

JUre civili, ubi deſcendentes f. liberi deficiunt, ad Aſcendentes ſucceſſio devolvitur. *Nov. 118. c. 12. l. 15. ff. de inoff. teſtam. l. 7. in f. ff. unde liberi*, at Aſcendentium ſucceſſio uti in feudis. *2. feud. 50.* regulariter locum non habet, ſic nec in regnis communiter ſolet obtinere: Sunt tamen caſus, in quibus hæc ſucceſſio locum invenire poſſet, ut ſi forte pater in gratiam filii Regno renunciaret, vel principatum pater aut alii ex majoribus prius obtinuerunt, Beſold. *diſſ. 3. l. 1. n. 1. & ſeqq.* quod idem obſervatur in feudo, ſi Defunctus ſine liberis à patre ſuo per refutationem aut venditionem illud acquiſivit. Itter. *de Feud. Imp. c. 15. §. 1.* Struv. *Syntag. jur. feud. cap. 9.*

 *aph. 3.*

*aph. 3. n. 3.* ſic ante aliquot annos Principe Leopoldo Matthia à Lamberg mortuo, principatus parenti delatus, quod in favorem filii ante recuſabat; Viduæ matres verò filiis in regnis à paterna linea profectis nullo modo ſuccedunt, quod & jure Romano veteri fuiſſe receptum conſtat ex *tot. tit. Inſt. de SCto Tertulliano.*

§. II.

Plerumq; itaq; deficientibus deſcendentibus hæc ſucceſſio ad fratres revertitur, iique legitimi ſunt ſucceſſores *c 2. de ſupplend. neglig. Prælat. in 6.* quod ſi ex primogeniti linea nulli amplius maſculi ſuperſint, qui in bona ſuccedere valeant, ita tranſitus fit ad ſecundogenitum ejusque lineam; nam quomodo primogenitus ante ſecundum ad ſucceſſionem vocabatur, eodem modo ſecundogenitus tertio præfertur; veluti in Electoratibus expreſsè expeditum in Aurea Bulla *tit. 7.* quia uti naturæ, ita & juris prærogativa frui debet præ tertio, ſicut primus præ ſecundo: inde ſi primogenitus ſine hæredibus maſculis deceſſerit, & reliquerit fratrem tertiogenitum & ex fratre ſecundo Nepotem, hunc patruo præferri ſupra jam expoſitum. conf. Zœſius *ad tit. ff. de ſuis & legitim. hæred. n. 5.* & ſicuti non fit tranſitus ad lineam ſecundam, niſi primâ penitus deficiente, ita nec de ſecunda linea tranſitus fieri debet ad tertiam, niſi ſecunda plane exſpiraverit. Rumelin. *ad Aur. Bull. d. tit. 7.*

§. III.

Quid autem de aliis ultra fratres agnatis, inter quos repræſentatio non videtur obtinere. *Nov 118. c. 3.* An ætatis? an verò ſtirpis & lineæ prærogativa in ſucceſſione noſtra attendenda? Decidere multi verentur ob ſententiæ utriusque patronos potentes & argumenta utriusque ſatis valida; caſus talis; Primogenito cum ſua linea deficiente ſupereſſe fingitur, non quidem frater natu ſecundus, ſed ejus filius, ſimulque tertius natu, qui patruus prioris eſt, eumque non gradu tantum, ſed forte etiam ætate antecedit; pro prærogativa lineæ pugnare videtur Engelbrecht. *de ſucceſſ. in Elect.* Schyz. *vol. 1. D. 7. th. 14. l. c.* Lampadius *P. 3. de Rep. Rom.*

*Rom. Germ. c. 4. n. 18. & ſeqq.* cum aliis; & deducunt ex *l. 32. §. ult. ff. de leg. 2.* quemadmodum enim primogenitus ejusque deſcendentes, quamdiu hi ſuperſunt, prærogativâ gradus & ſucceſſionis utuntur adverſus ſecundogenitos, ita etiam ſecundogenitus ejusque deſcendentes adverſus tertiogenitum ejusque poſteros, utut ætate majores, eadem gaudebunt prærogativâ, natura enim ipſa lineas & ſtirpes diſtinxit, Aurea Bulla etiam videtur aſſentire *c. 7. verſ.* Und ſolche Succeſſion ſoll für daß ſtets gehalten werden/ juncto *c. 24. §. 2.* Contrarium tamen defendit Goldaſt. *in tract. de ſeniore.* Arumæ, *v. 2. diſt. 24.* §. 28. & alii, hoc limitat Itter. *de feud. Imp.* quod in illis feudis, ubi jus primogenituræ viget, non ad gradus tantum ſed & lineæ prærogativam reſpiciendum, in cæteris verò diviſioni obnoxiis beneficiis non definit, licet in feudis, unâ lineâ extinctâ, collaterales tantum ſecundum proximitatem gradûs admittit, *2. Feud. 11.* hæc controverſia mota inter familiam Saxoniæ Altenburgenſem & Vinarienſem, quarum illa hæredes lineæ vacanti propiores omnem ſcilicet ſecundogeniti propaginem; Hæc ætate graduque potiores utcuncque ex linea remotiore poſitos, prioribus, nempe ex ſecundogenito prognatis liberis præferendos eſſe adnitebantur, & Altenburgenſibus accedit Itter. *de feud. Imper. c. 15. §. 11.* ſi Regnum vel Principatus dividi queat, difficultas ſuboritur, an patrueles in capita an in ſtirpes defuncto patruo ſuccedant? in capita ſuccedere debere, inclinat Betſius *c. 9. fol. 614.* quod & ad feuda refert. Itter. *de f. J. c. 15. §. 18.*

§. IV.

Uti verò ex dictis conſtat inter perſonas ab autore ſtirpis longius remotas facile contingere poſſe, ut quæ alteri ſit præferenda, non ſit liquidum in Regnis multas apud gentes ſucceſſio quædam, quæ linealis dicitur, obſervatur, quæ in hoc conſiſtit, ut omnes, qui ab Autore ſtirpis Regnantis deſcendunt, velut lineam quandam perpendicularem intelligantur conſtituere, quarum quælibet Regno propior, prout quisque in eodem gradu ſexûs, dein ætatis prærogativâ potior, nec prius ad aliam lineam Regnum devolvatur,

 quam

quam omnes ex priori linea fuerint extincti, unde citra gradus prærogativam & citra jus repræſentationis, prout quisque naſcitur, ita lex illi perfectum jus ad regnum ſuo ordine habendum confert, quod jus quisque ad omnes ex ſe natos pari ordine demittit, licet ipſe regnum non obtinuerit; hinc primo ſemper loco vocantur ultimi poſſeſſoris liberi, tam qui vivunt, quam qui mortui ſunt, tum verò inter vivos & mortuos ratio habeatur ſexûs primum, dein ætatis, mortuorum autem jus ſi prævaleat, tranſeat ad eos, qui ex ipſis deſcendunt, pari rurſus inter pares prærogativâ ſexus ac deinceps ætatis, ſalva ſemper tranſmiſſione mortuorum in vivos & vivorum in mortuos: Si ultimo poſſeſſori defuerint liberi ab ipſo aſcendendo (non recurrendo ad autorem ſtirpis & ibi incipiendo) itur ad lineam proximam, & ſic deinceps, obſervato ſemper in priori gradu diſcrimine ſexûs & ætatis: ita ut ob ſexum & ætatem nunquam tranſeatur de linea in lineam, cui conſequens eſt, ut filia ex filio præferatur filio ex filia, & filia ex fratre, filio ex ſorore, item filius majoris fratris fratri minori. Puſendorff *de J. N. & G. l. 7. c. 7. §. 13.* Hug. Grotius *de J. B. & P. l. 2. c. 7. §. 22.*

## §. V.

Hujus linealis ſucceſſionis in regnis duæ uſitatiſſimæ ſunt ſpecies: Cognatica una, altera agnatica, illa cum recepta ſit in Regno Caſtiliæ Caſtilianam quoque vocare ſolent. Eſt autem hæc ſucceſſio, quâ mares & fœminæ admittuntur habito reſpectu in gradu quolibet primò ſexus maſculini, deinde majoris ætatis, ita tamen, ut ob ſolum ſexum de linea in lineam tranſitus non fiat, adeoque fœminæ non excluduntur, ſed poſtponuntur ſolum maribus in eadem linea. Altera agnatica, quæ duntaxat mares ex maribus admittit, & ab exemplo Regni Galliæ Francicam nominant; hæc ſuceſſio introducta, ne per fœminarum matrimonia ad peregrinum ſanguinem Imperium deveniat, in utraque autem ſucceſſione lineali in infinitum admittuntur, etiam qui ab ultimo poſſeſſore remotiſſimo gradu diſtant, dum

dum à primo Rege deſcendunt. Quandoque etiam introducitur, ut ubi omnes maſculi ex ſtirpe Regia defecerint, demum ad fœminas Regnum devolvatur, Puffendorff. & Grotius *loc. cit.*

## §. VI.

Poteſt & alius ſuccedendi modus in Regnis conſtitui, aut populi voluntate, aut etiam ejus, qui regnum ita in patrimonio habet, ut alienare poſſit, ut ſcilicet tali ordine quisque ad regnum vocetur, prout autori ſtirpis Regiæ eſt proximus, quâ ratione ipſi ſuccedent omnes filii pro ætatis ordine, inde omnes nepotes habita ratione & ætatis patrum ſuorum, & ætatis propriæ, his omnibus extinctis eundum ad pronepotes & ſic deinceps; ſic apud Numidas olim tali ex cauſa fratres liberis ultimi poſſeſſoris præferebantur, nec ita dudum apud Afros Maroci & Feſſæ Reges idem eſſe factitatum, ſicut & apud Saracenos, qui ex Africa in Hiſpaniam venerunt, fratres prælatos filiis ad tempora Abderamenis fert Thuan. *l. 65. ad ann. 1578.* idem ſuccedendi genus valuiſſe in Mexicano & Peruano Regno ex hiſtoriis deducitur. Apud alios quoque populos & imprimis per oram Malabaricam receptum, ut non ſuccedat patri filius, ſed ſororis filius, quod credant de hoc multo certiorem eſſe fidem, quod ſit ex proſapia Regia, quam de illo. Alium adhuc ſingularem modum ſuccedendi apud Chatromatitas (qui ſunt natio Arabum) refert Pufendorff. *l. 7. c. 7.* §. *14.* ex ſtrabone: ubi nimirum ſucceſſit in Regno non filius patri, ſed qui primus è nobili genere poſt conſtitutum Regem natus eſt; nam ſimul ac aliquis in regno conſtitutus, omnes nobilium virorum uxores prægnantes conſcriptæ, & cuſtodes appoſiti, ut obſervarent, quæ prima peperit, nam ejus filius ex lege aſſumptus & ad Regni ſucceſſionem regiè educatus.

# Caput IV.

## DE TESTAMENTARIA PRINCIPUM SUCCESSIONE.

### §. I.

POſtquam hactenus, quo modo Regna & Principatus ab inteſtato tranſmittantur, paucis enarravi, ordinis jam ratio monere videtur, ut de teſtamento aliisque ultimi elogii generibus, qua ratione Principibus uti liceat, nonnulla ſubjiciam; Mortis enim cauſa frequentiſſime facto hominum dominia transferri per teſtamentum notum eſt, ſed cum omnis inter mortuos diſpoſitio in alienationis quandam ſpeciem incidat, *l. 16. ff. de teſtam. milit. l. 7. §. 4. ff. de Donat.* & teſtandi jus ex dominio, ſeu libera de rebus diſponendi facultate fluat Grotius *de J. B. & P. l. 2. c. 6. §. 14.* hinc an Reges & Principes ita pleno jure Regna & Ducatus poſſideant, diſpiciendum; de iis, qui feudum tenent, conſtat ſatis, quod juxta feudarii juris ſanctionem de iisdem regulariter teſtamentum condere non liceat, *1. feud. 8. 2. feud. 9. §. donare*, quare teſtamentum Georgii Bavariæ Ducis, qui cum præter magnam vim auri & argenti eam Bavariæ partem, quam ſucceſſionis jure tenebat, generi ſuo Ruperto Palatino Philippi Electoris filio in teſtamento legâſſet excluſo Alberto Bavariæ Duce, quod in Imperii leges & jura peccaret, Maximilianus Imperator non ratam voluit, & exitioſum inde Bellum Bavaricum ortum eſt; Sic & Georgius Dux Saxoniæ nullis relictis liberis fratrem Henricum ejusque filios teſtamento certâ lege adjectâ fecit hæredes, Henricus tamen rejecta conditione hæreditatem adiit. Itter. *de feud. Imper. c. 18. §. 2.* Arum. *v. 2. diſſ. 24. n. 82.*

### §. II.

Quamvis autem in feudis regulariter nullam fieri poſſe diſpoſitionem, ſit aſſertum; diſtinctione tamen Feudiſtæ uti

uti ſolent, quando ſcilicet feudum in novum & antiquum, item in hæreditarium & non hæreditarium, ſive ex pacto & providentia diſpeſcunt; unde in novo, utcunque ex pacto & providentia ſit; teſtamentum validum, in antiquo tantum valere quoad præjudicium Domini, ſi nempe conſentiat, non agnatorum, ob jus ex inveſtitura quæſitum pronunciant: de mere hæreditario affirmant, quod nempe libere de eo diſponi poſſit; quod item de feudis Imperii teſtantur, & tale mere hæreditarium feudum Dynaſtiam Mindelheimenſem dicunt Itter. *de feud. Imp. c. 16. §. 6.* Struv. *Synt. Jur. feud. c. 9. aph. 12. n. 5.* Reinkingk. *de Reg. ſac. & Eccl. l. 1. a. 4. c. 19. n. 30.* nonnunquam feudi Dominus in vim privilegii teſtamenti libertatem indulgere ſolet, illuſtre hujus exemplum proponitur in Seneriſſimis Archiducibus Auſtriæ, quibus ab Imperatoribus conceſſum, ut ſi fors (quod DEUS benigne avertat) abſque hæredibus liberis decederent, poteſtatem haberent donandi & deputandi ſuas terras, cuicunque voluerint, neque in hoc aliqualiter impediantur. Limnæus *Jur. Publ. v. 2. n. 30.* ſic refert comitatum Burgundiæ Francum, *La franche comtè*, liberum ideo dici, quod ea ſit libertas, & immedietas Dominorum, qui in eo comitatu poſſeſſionem habent, ut de bonis & facultatibus ſuis ſtatuant, eaque legent, quomodo & quibus videatur usque adeo, ut nec uxores, nec liberi, nec hæredes quicunque intercedere poſſint, quo minus de fortunis ſuis proprio ſanciant arbitratu Knipſchild. *de Fideicom. Fam. c. 3. n. 29.* licet verò etiam non ſpeciali gaudeant privilegio Imperii Germanici Principes, ob illuſtre tamen dignitatis faſtigium in illis teſtamentorum facultas non tam arctis limitibus conſtringi ducunt: quin ſive connivente, ſive permittente Imperatore, ſubinde ultra communes feudorum regulas, modo alteri jus ſuum ex primogenitura aut aliunde quæſitum non adimatur, imprimis inter liberos teſtari ſoleant: ut æquis vel inæqualibus portionibus filii inſtituantur, præcepta regiminis præſcribantur, aſſignato etiam primogenito principatu & regimine reliquis filiis alimenta, portiones bonorum relinquantur, exemplo ad-

ducunt

ducunt teſtamentum Philippi Senioris Haſſiæ Landgravii, ubi quatuor filios æquali quidem jure, inæqualibus tamen portionibus hæredes inſtituit. Itter. *cit. loc.* Reinking *l. 1. d. 4. c. 17. num. 60.*

§. III.

Par propemodum adhibetur deſtinctio, ubi, an Imperia & Regna ultima voluntate in alium transferri poſſint, quæſtio eſt? quod nimirum de illis regnis, quæ pleno jure proprietatis ſunt Imperantis, ſeu quæ hæreditaria ſunt, teſtamento diſponi queat. Ita Nicomedes Bithyniæ Rex moriens populum Romanum fecit hæredem; ſic quoque Rudolphus ultimus Burgundiæ Rex ſub prætextu liberi Regni hæredem inſtituit Henricum Conradi Cæſaris filium, ex eoque Burgundiæ & Arelatenſe Regnum Romano-Germanici Imperii Provincia facta eſt. Beſold. *lib. 1. d. 1. n. 13.* Knipſchild. *de Fideicom. nob. c. 3. n. 20.* ſic etiam Alphonſus Arragonius Neapoleos regnum ut armis partum Ferdinando Notho ſuo reliquit, in eodem rurſus regno urbes quasdam Ferdinandus legavit nepoti. Grotius *in not. l. 1. c. 3. §. 12.* de Luſitania id teſtari videtur *c. grandi 2. de ſupplend. negl. prælat. in 6to.* videtur tamen limitare hoc Betſius *de pact. famil. illuſt. fol. 658.* quod is ſolum, qui primus ex ſuo genere regnat, Regno belli aut alioquin liberæ & plenæ nulliusque legibus adſtrictæ poteſtatis jure acquiſito legem ita teſtamento dare poſſit, ut in reliqua privata hæreditate, ſiquidem ſolus quæſitor & Dominus Regni fuit, non Succeſſor.

§. IV.

Quod ſi verò regnum certo jure & lege deferatur, non eſt præſumendum eam fuiſſe populi voluntatem, ut alienatio Imperii ſui Regi permitteretur: ita ut nec filium exhæredare poſſit, ſed irritum reputatur teſtamentum, quatenus in Regno legitimo de ejus adminiſtratione diſpóſuerit, cum ſucceſſor commodum illud ſucceſſionis non beneficio defuncti, ſed ſanguinis generis & familiæ intuitu habeat, & ſucceſſio illa non jure hæreditario, ſed jure regni vel Ducatûs, non jure communi, ſed jure ſingulari, non à defuncto, ſed

à lege

Digitized by Google

à lege & conſuetudine Regni devolvatur, atque ideo proximo ſucceſſori auferri non poteſt. *l. 3. ff. de interdict. & Releg.* Beſold. *tract. de ſucceſſ. & Elect. Reg. l. 1. d. 2. n. 10.* Tiraquell. *de Jur. primogenit. quæſt. 35. n. 1.* ſic Alphonſus Rex Legionis filio carebat, itaque teſtamento donabat Regnum ſuum Carolo Magno eâ lege, ut ſaracenos pelleret: Verùm proceres irritam fecerunt hanc donationem, & Ramirum patruelem Alphonſi eligebant; & ad tale teſtamentum roborandum nec procerum conſenſus, ut ſupra notavi, eſt ſufficiens. Et dum Carolus Magnus & Ludovicus pius aliique plures de regnis teſtati leguntur, id commendationis magis vim apud populos habuiſſe, quam veræ alienationis ſcribit Grotius *l. 1. cap. 3. §. 13.*

§. V.

Ventilari hic ſolet quæſtio, an Principes, ut in teſtamentis à communi jure præſcriptas ſolennitates præciſe obſervent, neceſſe habeant? Imperatorem aliosque Reges abſolutos & Principes, qui præter gladium & Deum Superiorem nullum agnoſcunt, ſolennibus juris non adſtringi innuunt *l. 3. C. de teſtam. l. pen. C. de Donat. int. vir. & Uxor.* quoniam voluntas principis nullâ indiget legum ſolennitate, ita ut per externa ſigna olim denominare ſucceſſores ſufficiebat; ſic annulo uſus eſt Alexander M. apud Curtium, *l. 10. c. 5.* Conradinus ultimus Suevicæ familiæ Fridericum Caſtellanum Amitæ ſuæ filium datâ Chirothecâ inſtituit hæredem; ſed an idem de Principibus ac ſtatibus Imperii obtineat? anxiè & multo argumentorum conflictu DD. diſceptant in diverſas partes abeuntes; ſunt interim, qui meri juris gentium ſolennitates adhibuiſſe, ac jure militari ultima illorum elogia Conſcripſiſſe omnino ſufficere adferunt *arg. l. 3. ff. de Adopt. l. 19. C. de teſtam.* Myler. ab Ehrenb. *de Princip. & ſtat. imper. c. 26. §. 4.* Schutz. *de Stat. Dec. Rom. vol. 1. D. 8. th. 19.* quod idem extendunt ad Principes poſtgenitos, ſeu apanagiatos utriusque ſexûs, & uxorem Principis: Ab hac tamen ſententia non ſine ratione alii diſſentiunt, quorum etiam cauſam magis ſecuram arbitror, & Principes aliosque Imperii Status, dum ultima elogia

condunt, nullâ præeminentiâ frui, ſed privatorum jure eos hac in parte uti haud iniquum judicant: Quòd enim Principes Imperii in ſuo Ducatu, & Principatu ea poſſe, quæ Imperator in Imperio, dicatur, id reſpectu ſubditorum tantum foret intelligendum, & nullum adhuc occurriſſe præjudicium, quo in Camera Imperii vel in Aulico Cæſaris judicio, pro teſtamento Principis ſine ſolennitatibus confecto, pronunciatum ſit ex Auctoribus fide dignis, & praxi Imperii atque obſervantia hanc ſententiam probari ſcribit Itter. *de Feud. Imp. c. 16. §. 8.* Betſius *de Pact. Fam. Ill. fol.* 236. Diſtinquit hic Coccejus *Prud. Jur. Publ. c.* 29. §. 2. Status non teneri ſolennibus juris, ſi tantum id contingat jura civium vel Familiæ ſuæ, non extranei. cui aſſentire videtur Reinking *de Reg. Sec. & Eccl. l. 1. d. 4. c. 17. n. 63.*

§. VI.

Occaſione ultimæ diſpoſitionis Principum non incongruè quædam de tutela principum, an teſtamento dari queat, proponenda: Facilè enim factu eſt, ut legitimus ſucceſſor ætate minor rebus ex dignitate gerendis ſit impar, ac proinde tutore indigeat; hinc quæritur an apud Principes legitimæ ſolùm, an etiam teſtamentariæ tutelæ ſit locus? de tutela regni diſtinctionem adhibent, ut nimirum in regnis patrimonialibus, eorum ſit tutela, quos pater aut propinqui elegerint: In Regnis autem non patrimonialibus eorum ſit, quibus lex publica, aut ea deficiente, Conſenſus populi mandat. Grotius *l. 1. c. 3. §. 15.* de aliis principibus pupillis in ſpecie Imperii noſtri communiter ſentiunt, ſi pater illuſtris in ſuo teſtamento filio impuberi tutorem dederit, hanc patris enixam voluntatem eſſe ſervandam, hunc autem datum tutorem adhuc Cameræ Imperii confirmatione opus habere; quod ſi verò datus teſtamento tutor non ſit, Tutores in Camera aut propter Juriſdictionem concurrentem in Judicio Aulico Imperatoris accipiunt, ſolet autem mater aut proximior agnatus immediatus tale judicium adire, & pupillo tutorem petere. Myler. ab Ehrenb. *de Pr. & St. Imp. p. 1. c. 29.* Betſius *de pact. famil. c. 7.*

§. VII.

§. VII.

[illegible] tur autem plerumque tutores proximiores agnati, [illegible] am & avia illuſtris admittuntur, etiam in ipſius Du- [illegible] miniſtratione, Vitricus etiam, Beſſ. *de pact. famil.* [illegible] ubitatur hic, an in Ducatibus Imperii, in quibus Jus [illegible] ae viget, proximus quoque agnatus in tutela re- [illegible] excludat, adeo, ut ei remotior adjungi aut præ- [illegible] poſſit? & in tutela legitima ſeu dativa affirmativè [illegible] or, quoniam tutela defertur juxta gradûs prærogat- [illegible] *l. 37. ff. de R. J. l. 5. C. de Curat. furioſ.* de tutela Ele- [illegible] Imperio noſtro Carolus IV. publica Imperii lege [illegible] 2. proſpexit, ut proximus agnatus mino- [illegible] ceſſoribus in Electoratu ſit præſtitutus, an pro- [illegible] ioo teſtamentaria tutela hic planè non locum teneat? [illegible] cenſetur; ſi enim ex jure privato Electoralis tute- [illegible] ſa eſſet, tunc hæc conſtitutio inutilis foret poſi- [illegible] etiam eſſe poſſet, ne extranei delata hac tutelâ & adm [illegible] atione ſcrutentur potentiam, ſecretioraque Imperii [illegible], Limnæus *de Rep. Rom. Germ. p. 3. c. 4. §. 25.* Arn- [illegible] *diſſ.* [illegible] *38.* idem etiam affirmant quoad Ducatus & [illegible] tus Electoratui non annexos, quoniam tutor ad certa [illegible] las certaque negotia dari nequit, per *l. 12. ff. de te- ſtam.* [illegible] tutor enim præcipue perſonæ non rei datur; Datus etiam [illegible] mogenito reliquorum Electoralium filiorum non [illegible] tutor. Schweder. *part. ſpecial. ſect. 2. c. 7. §. 11.* Myler. [illegible] *l. c. 29. §. 16.* Anteriori ſeculo in utramque par- tem [illegible] quæſtio mota ratione diſpoſitionis Friderici IV. Ele- ctori [illegible] atini, qui teſtamento tutelam detulit Joanni Bi- pont [illegible] excluſo Philippo Ludovico Palatino Neoburgenſi: & li [illegible] ndente Bipontinus in adminiſtrationis poſſeſſione per [illegible]; donec Minorennis Fridericus V. Elector ipſe re- gime [illegible] aggreſſus; alii non inutili diſtinctione hanc contro- [illegible] ntur decidere, ita ut legitimam tutelam Electo- rum [illegible] Electoralis adminiſtrationem reſtringant, quæ prox [illegible] agnato lege delata minime per teſtamentum auferri po [illegible] etſi alius tutor non ſit datus, ſub hac tutela omnia



etiam

etiam principatus erit: at in principatibus ſuis Electores æquè ac reliqui ſtatus teſtamento tutores dare poterunt, uti etiam ante ætatis 18. annum ſuos principatus adminiſtrare valent, ſi veniam ætatis vel alio privilegio ad hoc ſint capaces. Præjudicium adferunt in Electore Bavariæ Ferdinando Maria, qui Albertum agnatum proximum ratione officii Electoralis, ratione Principatus Matrem tutricem habuit, ita ut in Comitiis Imperii Agnati legatus in Electorali, Legatus Matris in Principum Collegio vocem & ſeſſionem habuerit. Coccejus *Prud. Jur. Publ. c. 29. §. 17. & ſeqq.* Minorennitas principum finiri anno ætatis vigeſimo quinto uti Jure Romano videtur, niſi lex vel conſuetudo contrarium probet, ſic in Gallia Rex initio anni 14. Majorennitatem Conſequitur. idem in Portugallia. in Hiſpania anno 20. ætatis completo. Reges Sueciæ anno 18. idem terminus poſitus eſt Electoribus in Aurea Bulla; quod tamen ad alios ſtatus Imperii vix referendum, niſi ſpeciali privilegio obtinuerint ab Imperatore, ut octodecim annorum Regimen Ducatus aut Comitatus ſuſcipere poſſint, quale privilegium ſereniſſimam familiam Auſtriacam, Duces Brunſvicenſes, Anhaltinos Principes, Domum Haſſiacam, aliosque habere tradunt Limnæus *Jur. Publ. l. 3. c. 7. num. 41.* Knichen. *op. polit. l. 2. p. 1. c. 4. th. 8.*

# CAPUT V.

## *DE*

## FIDEICOMMISSARIA ILLUSTRIUM SUCCESSIONE in Stamm-Gütern.

### §. I.

QUoniam non lugubre modo & triſte eſt, in qua domo defecit pater, crevit minor majorum imagines non videre fixas, aut refulſas videre eaſdem, ſicut conqueritur Imperator Juſtinianus *in l. lex quæ tutoris 22. C. de bon. quæ liber.* ſed etiam in Reipublicæ ſplendorem vergit & emolumentum illuſtrium conſervari familias. Valent. Forſter.

ſter. *de ſucceſſ. l. 3. c. 13. n. 7.* alia autem inter media ad nobilium domuum conſervationem tendentia locum non ultimum ſibi vendicant fideicommiſſa familiæ. Fideicommiſſa à jure gentium ortum traxiſſe facilè patet, naturalis enim ratio inter omnes homines conſtituit, quod fides ſemper & ubique ſervanda, contra verò grave ſit eandem frangere, & fallere *l. 1. ff. de pact. l. 1. ff. de conſtit. pec.* & is naturâ debet, quem jure gentium dare oportet, cujus fidem ſecuti ſumus, *l. 48. §. 1. ff. de R. J.* quamvis primis temporibus fideicommittentium elogia ſolo rogatorum pudori & religioni relinquebantur, ita, ut præter naturalem nulla juris niterentur obligatione *§. 1. Inſt. de fideicommiſſ. hæred.* donec neceſſitas præſtandi fideicom miſſa & autoritate legum impoſita. Zoëſius, *ad ff. l. 36. tit. 1. n. 38.* fideicommiſſa cùm ultima voluntate potiſſimum diſponi ſoleant, ratione propoſiti paucis ſucceſſionem in fideicommiſſis familiæ attingere hìc locus erit.

§. II.

Fideicommiſſa familiæ, quod fidei poſſeſſoris alteri de familia reſtituenda demandentur, ita dicta: Stammgüter/ alte Erbgüter / definiuntur à Knipſchild *de fideicommiſſ. famil. c. 1. n. 185* quod ſint donatio quædam ab inſtituente eâ lege facta, ut bona proximioribus eodem gradu, vel ſeniori in familia ad ejus conſervationem perpetuò, ac ordine ſucceſſivo deferantur; Et licet pactum de non alienando in perpetuum nullo modo valere dicatur in *l. pen. ff. de pact. l. 4. §. ſi conveniat. ff. comm. divid. l. 70. ff. pro ſocio*, cùm per tale pactum libera teſtandi poteſtas impediatur; ſecus tamen ſe res habet quoad Principes & Illuſtres perſonas, quia à lege vel conſuetudine induci poteſt nova ſuccedendi forma, inprimis ſi utilitas inde publica reſultet; plura hic prænotari poſſent de diviſione, forma conſtituendi, effectu & fine fideicommiſſorum, de quibus, præter inſtitutum cùm ſint, integer tractatus Knipſchild *de fideicommiſſ famil.* legi poterit; hic tantum de ſucceſſione, quæ in fideicommiſſis illuſtrium obtineri ſolet, acturus.



Digitized by Google

§. III.

Modus quidem & ordo ſuccedendi in fideicommiſſa familiæ in arbitrio fundatoris recumbit, cui liberum eſt ſucceſſionem futùram determinare, *l. 32. §. f. ff. de legatis 2.* cùm verò in talibus fideicommiſſis agnationis & familiæ primariò ratio habeatur, hinc in eis ſoli agnati ſuccedunt, quia hi tantum familiam conſervant; Quæritur inde, an in hiſce fideicommiſſis ſucceſſio ſiat ſecundum modum & conſtitutionem Juris feudalis, an verò Juris civilis? fideicommiſſa enim multùm à natura feudorum participant, & à feudis ad fideicommiſſa & vice verſâ quandoque argumentari ſolemus; ſed quia hæc revera feudalia non ſunt, ſed allodialia, adeoque & ſucceſſio, quæ in allodialibus obtinet, meritò hìc locum inveniet, per *l. 32. §. fin. ff. de legat 2. l. fin. C. de verb. ſign.* Knipſchild. *c. 9. n. 8.* Stryk. *de ſucceſſ. ab inteſt. diſſ. 7. c. 3.* §. *14.* ita ut ordine ſucceſſivo fiat ſucceſſio, nimirum ut æquali gradu æqualiter & ſimul, diverſis gradibus verò conſtituti, proximiores ſuccedant, & remotiores excludantur. Sed utrum reſpiciatur proximitas teſtatoris ſeu fideicommiſſum inſtituentis, an verò hæredis, per quem poſt mortem reſtituitur fideicommiſſum, difficilis ſane eſt diſceptatio, rationes in utramque ſententiam videre eſt apud Stryck. *cit. loc.* §. *15.* ubi tandem ex circumſtantiis & verbis mentem teſtatoris decidendam ſentit, & ex eo plurimùm colligit, num ſcilicet fideicommiſſo perpetuo ſubjectum vocaverit agnatum ſuum, an verò Extraneum, forte conjugem ſub onere reſtituendi fideicommisſi poſt mortem teſtatoris familiæ? ita ut primo caſu proximitatem ultimi defuncti ſpectandam eſſe putet; ſed verò ubi Extraneo bona relicta, proximitatem teſtatoris, idque ratione temporis, quo ipſe mortuus eſt, non ratione ejus, quo moritur gravatus, attendendam; per *l. 3.* §. *ult. ff. de legat. 2.* cui etiam aſſentit Struv. *Syntag. jur. civ. Exerc.* 36. *aph. 19.* Forſter. *de ſucceſſ. l. 3. c. 30. n. 20. & ſeqq.* quòd fideicommiſſarii poſſeſſoris ultimo defuncti proximitas ſpectanda cum pluribus allegatis approbare videtur Knipſchild. *c. 9. n.* 83. *& ſeqq.*

§. IV.

Digitized by Google

§. IV.

Ex dictis ſequitur 1mo à ſucceſſione fideicommiſſi familiæ regulariter excludi fœminas, quia hæ familiam non conſervant, per ſolos enim maſculos propagatur familia, filiæ vero alienam conſtituunt, & ingrediuntur *l. 195. §. f. & 196. ff. de V. S.* (licet hoc in Hiſpania ſecus eſſe, & ex generali conſuetudine fœminas in majoratibus ſuccedere, nomen & arma familiæ ferre & familiam conſervare poſſe habet Knipſchild. *c. 8. n. 139.*) quâ ratione eadem quoque incapacitas deſcendentibus eorundem, utut maſculis, impedimento eſt. Sed utrum nomine deſcendentium per lineam maſculinam contineantur familiæ, utriusque ſententiæ inveniuntur fautores; affirmant, quia filia nata ex maſculo dicitur deſcendere per maſculinam lineam, cum deſcendat ex maſculo, in quo maſculina linea incipit, & fœmina agnata dicitur. *§. 3. Inſtitut. de leg. agnat. ſucceſſ. l. 2. §. 1. ff. de ſuis & legit. hæred.* & ita judicatum referunt in Supremo Aulico Imperatoris Senatu; ſed mihi videtur finem diſponentis potius fore, ut cùm pro conſervandis bonis agnationem ordinavit, ſoli maſculi de linea maſculina non vero fœminæ ſuccedant, Forſter. *de ſucceſſ. l. 3. cap. 23. §. 17.* Stryck. *cit. diſſ. 7. §. 12.*

§. V.

Si fœmina inſtituerit fideicommiſſum, dubium eſt, annon hoc caſu fœmina ſuccedat, quia fœmina non præſumitur odio habuiſſe ſexum ſuum, & verba intelligi debent ſecundum conditionem & qualitatem perſonæ diſponentis. *l. 12. ff. de Uſu & habit. l. 17. §. Si quis rogat. ff. ad SCtum Trebell.* & quando majoratus a fœmina inſtitutus, nunquam in caſu dubio fœmina fœminam ab eo jure repuliſſe cenſeretur, Tiraquell. *de jure primogen. quæſt. 10. §. 27.* aſt & hic contrarium verius, quod & fœminæ reſpectum ad familiæ & agnationis conſervationem habeant; ſed ſi maſculi non extent, ut poſtea fœminæ ſuccedant, tradunt Knipſchild. *de fideicom. Famil. c. 8. §. 335. & ſeqq.* Stryck. *cit. loc.* § 13. Eleganter ab interpretibus hic quæſtio movetur, quod ſi proximior agnatus ad ſucceſſionem vocatus, & adſint agnati remotiores, ſed qui deſcen-

ſcendendo à fæmina ejusdem agnationis reddantur proximiores, quod ſit, ſi uni de agnatione fæmina matrimonio ſit juncta, an iſti remotiores agnati per fæminam facti propinquiores excludant alios agnatos, qui per virilem ſexum ſunt proximiores? licet nonnulli affirmativè ſentiant, quia per talem ſucceſſionem omnis teſtatoris conditiones videntur verificatæ, quia deſcendentes ſunt maſculi, & bona per hoc in familia Conſervantur, & pluribus, quas adducunt rationibus: ſed reſpondetur jus agnatorum ex prioritate gradus & voluntate primi fundatoris quæſitum per matrimonium fœminæ cum agnato remotiori non poſſe tolli. Fideicommiſſum, ubi ſemel pervenit ad fœminas, in primævam ſuam, id eſt liberam naturam reſolvitur, ita ut impoſterum liberè in alios transferri poſſit, & juxta ductum juris communis deferatur; quippe ſic cauſa & finis inſtitutionis, Conſervatio nempe familiæ ceſſat, quod idem quoque eſt, ſi res fideicommiſſaria ad extraneos ſemel legitimè pervenerit Knipſchild *c. 8. n. 285.* Sed ſi vel ex conceſſione inſtituentis, vel eorum, quorum intereſt, conſenſu accedente juſta aliqua de cauſa fideicommiſſum vendatur, anne fœmina aliàs excluſa ad pretii ſucceſſionem admittenda? & negativa placet Knipſchild. *c. 8.* §. *287.* quia pretium ſuccedit in locum rei, & maſculis exiſtentibus bona fideicommiſſaria fœminis non debentur, nec eorum nomine actionem vel in rem vel in perſonam poſſunt intentare.

§. VI.

Nomine agnatorum etiam veniunt poſthumi §. *1. 2. Inſt. de legit agnat ſucceſſ.* & ad fideicommiſſa familiæ admittuntur, *l.* 32. §. *6. ff. de legat. 2.* nec non emancipati *l. 69.* §. *f. ff. de legat.* 2. de juſte exhæredatis quæritur etiam, an ſaltem in fideicommiſſis familiæ ſuccedere queant? quamvis Knipſchild. *de fideicomm. famil. c. 8. n. 16.* purè affirmativam tenere videtur, tamen mihi præplacet cum Stryck. *de ſucceſſ. ab inteſt.* 7. §. *21* ſub diſtinctione reſponſio, videndum ſcilicet eſſe, an injuria gravato, an verò fideicommiſſum ordinanti illata, priori caſu filium excludi non poſſe, *l. 114.* §. *15. ff.*

*de*

Digitized by Google

[illegible] quia bona fideicommiſſo obnoxia intuitu ſangui-
[illegible] debemus Tiraquell. *de Jure primogen. quæſt. 35.*
[illegible] caſu rurſus diſtinguit, ut ſi ante inſtitutum fidei-
[illegible] commiſerit, generalis & tacita ſucceſ-
[illegible] nunquam comprehendat ingratum filium, *l. 88.*
[illegible] poſt fideicommiſſi ordinationem ſuper-
[illegible], neceſſe ſit, ut intervenientibus o-
[illegible] juſtæ exhæredationis requiſitis ab omnibus bonis
[illegible] in diſquiſitionem venit: an liberi ad-
[illegible] fideicommiſſis numerum faciant? pro & contra hic
[illegible] & diſtinctiones Knipſchild. *de fideicomm. fam.*
[illegible] Tiraquell. *de primog. qu. 84.* tandem inclinat ad
[illegible] & ego verius judico, cujus rationes hic
[illegible] quod ſi tamen nulli ſuperſint agnati,
[illegible] vent, ſplendori & antiquitati familiæ per
[illegible] proſpici, non eſt cur dubitem, & non-
[illegible] hujusmodi exempla adduci poſ-
[illegible] ſeu per unionem prolium conjuncti in fi-
[illegible] non poſſent ſuccedere, unio enim
[illegible] non operatur. [illegible] *l. 8. ff. de R. J.*
[illegible] Porro nec ſuccedunt in [illegible] bona liberi ex
[illegible] docta nati, [illegible] adhuc ex ille-
[illegible] progeniti, nullum enim agnationis jus
[illegible] paternis contrahunt, *l. communium. 6. de*
[illegible]

## §. VII.

[illegible] in fideicommiſſis familiæ animadvertitur, in
[illegible] jus primogeniture vel majoratûs introduci,
[illegible] primogeniti ſemper cauſa ſit, & ſi primogenitura ſe-
[illegible] lineam, ſemper [illegible] & ejus deſcendent-
[illegible] etiam alii [illegible]
[illegible] perſonâ exſtiterit, [illegible] eodem
[illegible] præ tertio, [illegible]
[illegible] conſtituuntur, tunc majoratum de [illegible]
[illegible] *ff. de adopt.* [illegible]
[illegible] controverſ[illegible] jus repræſentationis [illegible]



com-

commiſſis familiæ locum habeat? Negativam aſſerentes ſe fundant in *l. 32. §. fin. ff. de Legatis. 2.* ubi diſponitur, quod, in fideicommiſſo familiæ relicto, illud peti poſſint, qui nominati ſunt, aut iis extinctis, qui ex nomine defuncti fuêre eo tempore, quo teſtator moreretur, & qui ex his primo gradu procreati ſunt, niſi ſpecialiter defunctus ad ulteriores voluntatem ſuam extenderit: Unde concludunt, quod cum primo gradu ulteriores non admittendi, niſi teſtator aliud diſpoſuerit, diverſa etiam ratio habetur inter fideicommiſſum & inter jus hæreditarium, cùm ibi animus teſtatoris conſideretur, & teſtator majori amore duci cenſeatur erga fratrem, quam fratris præmortui filium; amor enim longiùs progrediendo paulatim attenuatur, & deficit, Forſter. *de ſucceſſ. l. 4. c. 22. n. 3.* Stryk. *de S. A. J. diſſ. 5. §. 8. in f.* ſed contrarium, quòd etiam in fideicommiſſis locum teneat jus repræſentationis, alii meliùs defendunt: ſiquidem jus repræſentationis in quibuscunque hominum diſpoſitionibus, quibus hæredes ad ſucceſſionem vocantur, obtinet, & in fideicommiſſis ſucceditur, prout ſucceditur ab inteſtato, ab inteſtato autem ſubintrat filius locum patris, *Gloſſ. in l. 32. §. f. ff. de legat. 2.* Tiraquell. *de primogen. qu. 4. n. 191.* Knipſchild. *c. 9. n. 22.* quod ſi in tali fideicommiſſo primogenitura obtineat, filius patris perſonam repræſentat, & patruum excludit.

§. IIX.

De eo adhuc non inutiliter quæritur, an in his fideicommiſſis familiarum fratres Germani, ſeu ex utroque latere, patre ſcilicet & matre conjuncti, fratres conſanguineos, ſeu ex uno tantùm latere, patris nimirum, conjunctos excludant? & cum Struv. *Synt. jur. civ. Exerc. 39. aph. 20.* Stryk. *de ſucc. ab inteſt. diſſ. 7. §. 36.* negativa mihi arridet, teſtatoris enim voluntati conſentaneum videtur, quod ſolam agnationem conſideraverit, unde qualitas ſexûs fœminei, quæ in fratre ex utroque latere conjuncto concurrit, non auget jus, quod ſibi ex fideicommiſſo competeret, ubi ſola nimirum agnatiò non cognatio venit in conſiderationem,

conſ.

Digitized by Google

*conf. l. 1. C. de legit. hæred.* ſicut etiam in Feudis conſanguinei cum Germanis admittuntur, ſola enim agnatio hic attenditur; ubi ſufficit quem ex ſtipite & ſanguine deſcendiſſe, *2. feud. 11. §. his verò deficientibus.* Struv. *Synt. jur. feud. c. 9. §. 6.* Arumæ. *diſſ. Feud. 3. th. 9. lit. B.* Contrariæ tamen ſententiæ eſt Knipſchild. *de fideicomm. famil.* cui aſſentit Forſter. *de ſucceſſ. l. 8. tit. 17.* qui, cum ex jure communi petatur ſucceſſio fideicommiſſorum (ubi expreſſe fratres Germani præferuntur conſanguineis.) ſentiunt & hic, ubi nulla in contrarium diſpoſitio, obtineri; quamvis tamen à conſanguineis fœminas excludi non dubitent. *Auth. ceſſante, & auth. poſt fratres C. de legat. hæred. Nov. 118. c. 3.* Sed cùm hic certum ſit teſtatoris cauſam fuiſſe agnationem, hinc etiam contra legem communem meritò colligitur: Uterinos verò fratres ſeu à parte matris ſolùm conjunctos hic nullum obtinere locum non eſt dubium, quia plane ſunt extra familiam; notabile hic memorat Stryk. *loc. cit.* de Feudis Geldriæ, quæ ſunt Juris Zutphanici, quod ibi pari in gradu ſola ſexûs & ætatis prærogativa ſpectetur, & ideo frater uterinus, vel conſanguineus natu major in illis excludit Germanum juniorem. Cæterum notatur, quod ſucceſſio fideicommiſſi Illuſtrium in infinitum extendi ſit probabiliùs, quia ex conjecturis poteſt percipi, teſtatorem prohibitionem alienationis voluiſſe perpetuam, in jure etiam expreſſe fundatur *l. 69. §. 3.* ibi: *omnes fideicommiſſum petant, qui in familia fuerint. l. 78. §. 3. ff. de legat.* non obſtante *Nov. 157.* quæ extra limites ſuos non extendenda, ſed ad caſum reſtringunt, ubi mediante impubere extraneus hæres exiſtit, uti colligitur ex ejusdem *Nov. 157. c. 3.* Knipſchild. *c. 9. n. 119.* quemadmodum & dictæ novellæ conſtitutionem lege Taurina in Hiſpaniæ majoratibus & primogeniis rejectam, teſtantem adducunt Covarruviam *var. reſolut. l. 3. c. 5. n. 4.* nec refert, an quis fideicommiſſum in propria, an verò aliena familia conſtituerit, ſi enim quis pro conſervatione alicujus etiam alienæ familiæ inſtituerit fideicommiſſum, hic eadem affectio, ac in propria inſtitutoris familia, conſideratur.

# CAPUT VI.
## DE
## SUCCESSIONE ILLUSTRIUM PER CONFRATERNITATES, durch Erb-Verbrüderungen / ALIAQVE PACTA SUCCESSORIA.

### §. I.

Poſtquam de duabus illis ſucceſſionis ſpeciebus, quibus regna, Electoratus, Principatus, &c. acquiri ſoleant, propoſitâ inſtituti methodo actum eſt, ſupereſt de modo ſuccedendi, quæ conventione & pactionibus evenit, quædam diſſerere. Pacta de ſuccedendo jure civili ne quidem reciproca valere innuunt ſatis *l. 5. C. de pact. Convent. l. 34. C. de transact. l. 19. C. de pact.* cujus vulgò afferunt rationes, quod auferant hæc pacta liberam teſtandi factionem, *l. 15. C. de pact. convent.* & quod inducant votum captandæ mortis, *l. 11. C. de transact.* quas tamen non ita firmas in ipſo jure Romano eſſe, demonſtrat Schilter. *Prax. Jur. Rom. Exerc. 8. §. 37.* Itter. *de Feud. Imp. c. 17. §. 1.* an moribus hodiernis non repugnent, videndum? quoad juris Romani ſuſpicionem de morte captanda, adverſus jus & bonos mores omnium gentium haud eſſe, manifeſtum cenſetnr, imprimis verò candor gentium germanicarum ejuſmodi inſidias de iis præſumere non admittit, ita ut hoc in paſſu nunquam jus Romanum apud has receptum videatur, rationis ulterius fundamentum, licet ſe fundet in jure gentium, quo omnium populorum teſtandi libertas referri poteſt, ut tamen ſibimet ipſi liberam hanc teſtandi facultatem propria voluntate tollat, hoc naturali rationi & bonis moribus omnium gentium minimè adverſari, ſatis conſtat. plura vid. apud Schilt. *cit. loc.* quod ſi itaque ex his pateat pacta de futura ſucceſſione juri gentium Univerſali non repugnare, uſu & conſuetudine imprimis Germaniæ tales pactiones ſolent frequentari. Hic illa pacta recenſere eſt animus,

quæ

[illegible] familiæ conſervandæ cauſâ,

§. II.

[illegible] eſſoriorum ſpeciem videntur
[illegible] ternitates, Germ. Erb-Verbrü-
[illegible] ritas jus ſucceſſionis reciprocæ in
[illegible] legitimorum ex pacto inter per-
[illegible] Limnæ. *in jur. publ. l. 2. c. 19. n. 29.*
[illegible] pacta gentilitia, ut territoria & pro-
[illegible] ustrium Familiarum bene de Imperio
[illegible] ut Pax etiam & Utilitas Imperii,
[illegible] ſucceſſoris, familiâ alterutrâ extinctâ,
[illegible] ſolet, ſtabiliatur; nec non ut ex mu-
[illegible] defenſione, fide, & concordia fra-
[illegible] arium ſplendor & dignitas Conſer-
[illegible] b. *de Princ. & Stat. Imper. p. 1. c. 25. §. 8.*
[illegible] *fratern. Saxon. Haſſ. c. 3. th. 41.* Con-
[illegible] poſſe videntur ſoli principes, ſummo
[illegible] annumerandi Imperii noſtri Germa-
[illegible] quod etiam de immediatis Imperii
[illegible] *art. 40. Capitulat. Ferdin. III. & art. 39.*
[illegible] tamen ſucceſſoria ſibi condere poſ-
[illegible] & Jure ſingulari, non vi ſummi Im-
[illegible] *Leopold.* Myler. ab Ehrenb. *de Princ.*
[illegible] Nobilibus vero mediatis ſucceſſio-
[illegible] non poſſe, communis eſt ſen-
[illegible] *th. 1. diſſ. 13. th. 4.* Beſtius *de pact.*
[illegible] tamen ſibi videtur contrarius,
[illegible] princeps territorii, cui ſunt ſubjecti,
[illegible] confirmet, aut expreſsâ lege vel re-
[illegible] permittantur, quod
[illegible] propinquus obtinere, non
[illegible]

§. III.

[illegible] ternitatem Statuum Germanici
[illegible] confirmatio Imperatoris,

 & licet

Digitized by Google

& licet ad eſſentiam harum confraternitatum, ſive quâ tales, non requiritur; ſaltem ratione bonorum in confraternitatem deductorum, quæ vi illius pacti in aliam familiam transferri ſolent; & quorum pleraque vel magna illarum pars Feudalia ſunt, confirmatio Cæſarea ſit neceſſaria, hinc etiam olim repulſam tuliſſe ferunt Principes Anhaltinos, cùm defuncto Electore Waldemaro ſine liberis, peterent Marchiam Brandeburgenſem ex pacto, quod Imperator non approbavit. Ita etiam pactum ſucceſſorium inter Electorem Brandeburgenſem & Ducem Lignicenſem à Ferdinando II. Imperatore invalidum habitum. Myler. ab Ehrenb. *p. 1. c. 25.* §. *15.* Arumæ. *ad jus publ. diſc. 22. th. 3.* ſed anne, ut etiam alii inferiores, à quibus fortè confratres Feuda recognoſcunt, conſentiant in talia pacta ſucceſſoria, ſit neceſſe? & in theſi affirmat, quia pacta hæc in alienationem incidunt, quæ invitis dominis fieri non debet; in hypotheſi tamen nonnunquam certæ circumſtantiæ neceſſitatem hanc ennervare poſſe ſcribit Sinold. Schyzius *de Stat. Rei Rom. Exerc. 6. th. 28.* quod ſi tamen literis inveſtituræ aut ex privilegio pro lubitu libera alienatio feudi Principalis expreſſè permiſſa ſit, absque Conſenſu Imperatoris confraternitas poterit celebrari; tali privilegio ſereniſſ. domus Auſtriaca de omnibus Feudis ſuis gaudet. Limnæ. *Jur. publ. l. 5. c. 2. n. 29. & ſeq. Capitul. Leopold. art. 30.* ſic etiam confraternitates inter agnatos proximos & ſimultaneè inveſtitos absque conſenſu Senioris licitas eſſe, dicit Betſius *de pact. fam. Ill. c. 5. fol. 102. & 131.*

§. IV.

Cæterùm, quoniam ſubditorum etiam interſit, ne alienis ignotisque dominis ſubjiciantur, quæſtio occurrit, an ſubditorum conſenſus ad ineunda talia pacta ſucceſſoria neceſſariò adhibendus? affirmativa videtur communior, ſic enim pro ſtabilienda hac opinione & illud allegant; Dominum invitos vaſallos alienare non poſſe, per *text. 2. feud. 34.* §. *1. & tit. 55.* §. *f. c. 33. X. de jurejur.* Nicol. Betſius *de pact. fam. illuſtr. cap. 5. fol. 125.* Itter. *de feud. Imp. cap. 17.* §. *11.* ex modo habendi Principatum, ſive bona, quæ Paciſcentes tenent, hæc quæſtio

quam

[illegible] videtur; aut enim pleno jure habentur, [illegible] funt, & tunc ejusmodi Princeps circa [illegible], fine ordinum populique conſenſu, libere [illegible] poteſt, aut ex populi voluntate principatum [illegible], [illegible] alienatio citra conſenſum ſubditorum in [illegible] procedit, nec pacto confraternitatis ad alium [illegible] non conſentientibus Ordinibus transferri, nec [illegible] alius ſuccedendi modus introduci valet; Hugo Grot. [illegible] *6. §. 3. & ſeqq. c. 14. §. 12. num. 6.* [illegible] *l. 8. c. 5. §. 9.* quam ſententiam [illegible] approbat. Principes noſtræ Germaniæ con[illegible] utiliter ſolum, non neceſſario adhibe[illegible] Principes modum habendi ditiones [illegible] ex ſubditorum voluntate, ſed ex Im[illegible] Feudi Lege, eaſdem tenent; quem[illegible] Principis familia, talia feuda Impe[illegible] Imperator de aperto ejusmodi Principatu [illegible] omnino etiam exſpectati[illegible] de iisdem concedere, [illegible] *§.* [illegible] cum verò nonnun[illegible] Principem & ſubditos pacta extent, quare [illegible] Principatuum forma, & Provinciali[illegible] poteſtate, atque libertate, quæ pro lo[illegible] laxior eſt [illegible] diſ[illegible] orſ. in [illegible]

[illegible] confraternitas vel de [illegible] Prin[illegible] Comitatibus, [illegible] Baronia, [illegible] Confraternitatis [illegible] vel di[illegible] certo duntaxat Principatu [illegible] bonorum [illegible] particulare nominant [illegible] §. [illegible] Prioris exemplum [illegible] quod pactum [illegible] Haſſiarum [illegible] & Thu[illegible] hodie ſunt [illegible] Saxoniæ, & Landgravios Haſ[illegible] ſiæ longo retro ab annis initum ab Imperatoribus interven-

tu

tu ſimultaneæ inveſtituræ confirmatum, & à dominis confratribus aliquoties renovatum; ejus tenorem refert Carpzov. *de Pact. Saxo-Haſſ. diſſert.* quibus acceſsêre Marchiones Brandeburgenſes, quæ acceſſio an firma ſit? *vid* Limnæ. Enucl. *l. 2. c. 19. §. 30.* tale etiam pactum inter Sereniſſ. Archi-Duces Auſtriæ & Reges Bohemiæ Luzenburgicæ ſtirpis olim Auguſtali autoritate munitum extitiſſe, & Regnum quoque Hungariæ & Poloniæ in pactum hoc ſucceſſorium veniſſe memorant Andr. Knichen *de Sax. non prov. jur. c. 2. n. 75.* Itter. *de Feud. Imp. c. 17. §. 4.* eodem familiari Jure Duces Bavariæ & Principes Palatini tum in legitima ſuæ gentis, deficiente maſculâ prole, ſucceſſione, tum etiam in Electorali dignitate utuntur Beſold. *de ſucceſſ. Reg. l. 1. diſſ. 13. n. 3.* ſed hanc ſucceſſionem magis jure agnationis, quam vi pacti exſpectari judicat Myler. ab Ehrenb. *de Princ. & ſtat. Imp. c. 25. n. 3.* inter Comites Schwarzburgicos, Stolbergenſes, & Hohenſteinenſes talis interceſſit pactio, unde & morte ultimi Hohenſteinenſis Comitis, Comitatus Hohenſtein, cum Dynaſtiis Lora & Klettenberg ad Comites, modo Principes Schwarzburgenſes & Comites Stolbergenſes ſunt translata. Itter. *de feud. Imp. c. 17. §. 5.* Confraternitatis particularis ubi de quota ſolum bonorum fit conventio: exemplum fuit pactum illud Ducum Saxoniæ cum Comitibus Hennebergicis, hi namque totum Comitatum, illi tantum ditionem Coburgenſem in confraternitatem deduxêre, ut hinc extinctâ familiâ Hennebergenſi comitatus hic ad Principes Saxoniæ pervenerit, illis exceptis, quæ Haſſiæ Landgravii & Epiſcopi Herbipolenſes ſingulari jure ſibi vindicârunt, Beſold. *cit. diſſ. 13. n. 3.* Itter. *c. 17. n. 21.* aliam quoque pactionum differentiam vulgò ſtatuunt, aliud enim pactum ambilaterale, quando ab utraque familia idem finis, ſucceſſio ſcilicet, alterâ illarum extinctâ, intenditur; aliud unilaterale, tale cenſetur pactum, quod initum inter Electores Brandeburgenſes, & Duces Pomeraniæ, inde extinctâ Ducum Pomeranorum familiâ, hac ratione Ducatus ille ad Brandenburgicum Electorem delatus, huc etiam refertur pactum Haſſiæ Landgraviorum cum Co-

mitibus

[Co]mitibus Katzenellenbogenſibus, & hac etiam de cauſa totus Comitatus ad Landgravios translatus; Beſold. *diſſ. 13. th. 3.* Schweder. *Jus publ. p. Sp. c. 10. n. 10.* Ritter. *de Confraternit. & pact. ſucceſſ. th. 10. Lit. A.*; An autem talia pacta Unilateralia vera ſint confraternitates, an potius ſucceſſio vi Simultaneæ inveſtituræ ſtabiliatur, Saniori relinquo Judicio. Notat quidem Ritter. *de feud. Imp. cap. 17. n. 7.* quod licet ejusmodi pacta non ſemper mutuam ſucceſſionem, obligationem tamen reciprocam ſemper inducant, ita ut ex una parte ſucceſſio, ex altera autem debitorum ſolutio, aut quæcunque demum alia præſtatio loco ſucceſſionis exigitur; Non raro evenit, ut Illuſtres paciſcentes in ſignum talis exſpectantiæ nomen & arma aſſumant; ſic igitur ſereniſſimi Archiduces Auſtriæ ſibi titulum Regis Bohemiæ & Hungariæ aſſumpſiſſe, quanquam illa regna non ſtatim fuerint adepti; iidem ſereniſſ. Archi-Duces arma & nomen Ducatûs Wurtenbergenſis ferunt, ratione cujus Ducatus pactum aliquod non reciprocum in Ducatum Wurtenbergenſem ſolum Succeſſorium initium habent; licet [illegible] aſſeveratam illum iis competere, ex hiſtoriis memini, Limn. [illegible] *publ. c. 17. n. 3.* Myller. ab Ehrenb. *de Princ. & Statib. Imp. [illegible] c. 18. n. 5.* pactum Succeſſorium Illuſtriſſ. familiæ S. R. I. Comitum de Schönborn, cum Comitibus de Puecheim, nomen & arma, quibus reciprocè Illuſtriſſ. hæ familiæ bonis inſigniuntur, indicant.

§. VI.

Quidnam vero operetur & quantum juris Confraternitates confœderatis Principibus tribuant, expediendum? primarius earundem effectus, qui reliquos omnes exſuperat, in mutua bonorum ſucceſſione conſpicitur, dum nempe ſtirpe alterius extinctâ, defuncti Principatus, & quæcunque eò pertinent, vigore pactionis ad ſuperſtitem devolvitur, immediate enim pacto tali completo alteri in alterius bonis jus reale conſtituitur, & bona utriusque ſtatim invicem communicata ſunt, ut uterque & dominium & poſſeſſionem civilem conſequatur, executione ſolum reali in caſum mortis dilata, [illegible] equidem traditio intervenisse, & bona per con-

ſtitutum poſſeſſorium immediatè translata cenſentur; Reinking. *de Reg. Sec. & Eccl. l. 1. claſſ. 4. c. 18. n. 12. & ſeqq.* Myller. ab Ehrenb. *de Princ. & Stat. Imp. p. 1. cap. 25. n. 18.* &, hæc obligatio ita valida eſt, ut in ſolis paciſcentium perſonis non terminetur, ſed ad eorundem quoque hæredes, omnesque de Proſapia diſponentis extendatur, utcunque forte diſerta mentio inibi facta non fuerit. Beſold. *lib. 1. de Succeſſ. & Elect. Reg. diſſ. 13. n. 13.* Itter. *de Feud. Imp. c. 17. n. 12.* unde concluditur, ejus eſſe efficaciæ ejusmodi pactiones, ut bona in his pactis confraternitatum ſucceſſoriis comprehenſa à paciſcentibus neque alienari alterutrâ parte invitâ poſſint, licèt prohibitio alienationis fuerit omiſſa; ſemper enim tacitè huic pacto & ex natura ſua ineſt, cùm familiæ paciſcentes altera in alterius bonis jus quæſitum habet, quod ei ſine facto ſuo auferri non debet, abſonum etiam foret, ſi paciſcentium uni pactorum vim atque efficaciam altero invito & reluctante eludere & proculcare fas eſſet, Betſius *de pact. fam. c. 4. fol. 71. & 123.* Knipſchild. *de fideicom. fam. illuſtr. c. 15. num. 15.* Itter. *cit. loc.* §. 14. & alii. quin autem inter ſe alienare poſſent, minimè dubium videtur; ſi verò bona aliqua in Extraneum aliquem alienata fuiſſent, quia ejusmodi Principum Conventiones vim legis obtinent, ea autem, quæ contra leges vel ſtatuta alienantur, revocari poſſunt ab illis, quorum intereſt, & ideo ad eorum revocationem, actionem in rem conceptam dari exiſtimant, Betſius *de pact. fam. cit. fol. 123. & ſeqq.*

§. VII.

Neque ultimâ voluntate bona tali pacto affecta in alium transferri poſſunt, cùm & talis diſpoſitio alienatio quædam ſit. *arg. l. 16. ff. de teſt. milit.* & hoc dubio caret in caſu, ubi diſertè alterutri paciſcentium ad certam usque quantitatem teſtandi facultas indulgetur, ſiquidem proinde ultimus familiæ in illis duntaxat rebus, quæ in eum finem in ejusmodi confraternitatibus reſervari ſolent, teſtari queat. Sic in Confraternitate Saxo-Haſſiaca proviſum eſt, ut ultimus decedens ſine prole maſcula de 30000. Florenorum Rhenenſium ſumma diſponere poſſit. Myler. ab Ehrenb. *de P. & St. Imp. p. 1. cap. 25. n. 17.*

[illegible] *Itter. de Feud. Imper. c.* [illegible] *num. 8.* præterea etiam, ne indotatis [illegible] filiabus per ejusmodi pactitiam ſucceſſionem damnum inferatur, de congrua plerumque dote illis caveri ſolet, ita in ſæpius memorata confraternitate Saxo-Haſſiaca etiam [illegible] dotem videre eſt apud Itter. *cit. loc.* ſed in eo difficultas ſupereſt, ſi nihil plane cautum de ultima aliqua diſpoſitione fuerit, num hoc caſu teſtamentum condi poſſit? Controverſia hæc eo potiſſimum recidere videtur, an pacta [illegible] ſucceſſoria, ut contractus inter vivos valeant, an vero ultimæ voluntatis ſpeciem quandam conſtituant? & priorem [illegible] crebrioribus DD. calculis, receptam tuentur [illegible] *de R. S. & Eccl. l. 1. d. 4. c. 18. n. 10. & ſeqq.* Itter. *c. 17.* [illegible] Carpzov. *all. diſſ. c. 6. ib. 61. n. 10.* quod nimirum ejusmodi [illegible] contractûs mutui obligationis, legis & ſtatuti [illegible] authoritate ſubſiſtant, proinde non ſint ambulatoria [illegible] jus ita majorum Providentia & pacto irrevocabili [illegible] quæſitum per teſtamentum neque minui, neque in totum auferri poſſit; Hinc etiam nec Novæ cum aliis confraternitati locus relinquitur, niſi accedente alterius conſenſu, unde in pacto Coburgo-Hennebergico conſenſus fuit requiſitus confœderati Haſſiæ Dynaſtæ. Beſold. *lib. 1. de Succeſſ. Reg. diſſ. 13. n. 8.*

## §. IIX.

Ad effectum porro confraternitatum referunt, quod homagium, quod ſubditi Principi ſuo præſtant, concipi plerumque ſoleat ſimultaneè etiam in perſonas confratrum, quod tamen minime ſubjectionem importat, nec etiam Juriſdictionem territorialem, vel aliqualem ſuperioritatem tribuit, ſiquidem conditionale & eventuale eſt, ac proinde effectus ejus in conditionis exiſtentiam ſuſpenditur. Myler. ab Ehrenbach. *de Pr. & St. Imp. p. 1. c. 15. n. 21.* Carpzov. *d. diſſ. c. 6. ib. 64.* [illegible] tamen Reinking. *d. c. 18. n. 26.* alius affectus etiam eſt, quod confrater ſuperſtes cum ſucceſſione territorii etiam annexam ei dignitatem acquirat exemplo Friderici Comitis Montispeligardi, qui ſucceſſione in Ducatum Wurtenbergenſem, ſine ſpeciali creatione Dux factus eſt, huc etiam refertur



fertur

fertur tutelæ delatio, quod nempe deficientibus aliis agnatis confrater alterius familiæ minoris confratris tutor fiat, ob ſpem ſcilicet ſucceſſionis proximam, quæ tutelæ deferendæ norma ac fundamentum eſt, *l. 1. ff. de leg. tut. & l. 73. pr. de R. J.* Stryk. *de ſucc. ab inteſt. d.* §. 34. *& ſeqq.* quâ ratione in irritum recidant ejuſmodi familiares conventiones [quod mutuo ſolum conſenſu fieri ex dictis ſatis conſtat,] multis hic diſquerere nihil atinet; Unicum adhuc notandum reſtat, pacta confraternitatis non debere confundi cum pactis confœderationis ſeu Erb-Vereinigung / etſi nonnunquam minùs accuratè & impropriè confraternitates appellantur; talia enim fœdera ſingularem amicitiam ac defenſionem mutuam reſpiciunt; illa autem mutuam ſucceſſionem intendunt; talia inita dicuntur inter Duces Saxoniæ, Marchiones Brandenburgicos, & Haſſiæ Landgravios, quorum formulas exhibet Carpz. *de tract. de Conf. Sax. Haſſ. c. 1. th. 14.* quo etiam pertinere videtur Unio Electoralis, tam generalis omnium, Wormatiæ anno 1521. & ſæpius renovata; quàm particularis illa quatuor Electorum Rhenenſium anno 1515. Veſaliæ ad Rhenum celebrata, Godfred. Knichen *l. 2. pol. p. 1. c. 4. th. 4.*

§. XI.

Pactorum ſucceſſoriorum alteram ſpeciem videntur facere Ganerbinatus, die Gan-Erbſchafften: nominis originem ut brevibus indagemus, communior placet ſententia, ita ut vox antiqua Gan / idem ſit ac communis, gemein / verbô autem Erben / non tantum ſucceſſores defunctorum denotari, ſed id æquè ac latinum hæredes pro dominis accipi; *d. fin. Inſt. de hæred. qual. & differ.* vocem Ganerbiorum enim Germanicam eſſe liquidò conſtat, ita, ut caſtrorum Ganerbii nihil ſint aliud, quàm arcium Condomini, gemeine Burg-Herren. Synold. Schuz. *de ſtat. Rei Rom. Exerc. 9. th. 12.* Knichen. *l. 2. polit. p. 1. c. 4. th. 4.* eſt itaque Ganerbinatus caſtrorum jus aliquod ſocietatis & confœderationis gentilitium, inter familias quaſdam illuſtres in certo aliquo caſtro, ad ſe ſuosque contra latrocinia, & vim iniquam unanimiter defenden-

[illegible] certis pactis & legibus vel à ſuperiori, vel ab ſolis [illegible] cum jure ſucceſſionis conſtitutum. Licet [illegible] Ganerbinatus conſtitui poſſe videantur, ſed [illegible] Ganerbinatu duntaxat dicere pergo. Originem [illegible] Ganerbinatus, ad ea tempora communiter [illegible], quibus in armis jus poſitum erat, da das Fauſt-[illegible] gangen / manuarii enim juris licentiæ [illegible] non tantum caſtra ejusmodi communia certis [illegible] familiis Imperatores contulerunt, ut ipſi cum po-[illegible] ſua caſtra illa cum certo diſtrictu contra publicos [illegible] & proditores tuerentur; ſed alii quoque Generoſiores nobiles deprædationibus ingraveſcentibus poſtea exemplo hoc [illegible] ſibi Ganerbinatus pacta conſtituere: arces ſcilicet, [illegible] ſe cum familia ſua reciperent, & ut ſe ſuaque contra [illegible] eorum conjunctis viribus defenderent, comparantes. [illegible] *feud.* 17. Stryk. *de ſucceſſ. ab inteſt. diſſ.* 8. *c.* 8. [illegible] primarius cenſetur, mutua defenſio, ſe-[illegible] vero mutua ſucceſſio, ſeu acquiſitio partis defi-[illegible].

§. X.

[illegible] hæc pacta, ut contrahentes mutuè obligentur [illegible] pacti hujus obſervantiam, quæ ad hæredes extenditur [illegible] bona hæc Ganerbica fiunt communia, eaque quilibet non pro parte diviſa, ſed indiviſa poſſidet, hinc & juriſdictio communi caſtro conceſſa ad omnes ſimul pertinet, & [illegible] ſimul exercenda. Arumæ. *de Jur. [illegible] diſſ.* 13. *fin.* ex [illegible] bonorum communione & illud fluit Ganerbium, ſeu Condominum partem ſuam non poſſe vendere, vel in alium alienare. [illegible] *de fideicomm. fam. c.* 15. *n.* 13. [illegible] *ſta. rei Rom. ex.* 9. *th.* 18. *lit. d. in fine.* Kylling. [illegible] *n.* 42. ubi extra terminos pacti expreſ-[illegible] transferre poſſe [illegible], *per l.* 3. *C.* [illegible] alter effectus eſt, quod Ganerbii invicem ſucce-[illegible] uno mortuo ſuccedat alter familiæ ejusdem, vel [illegible] ex ea exiſtet, qui ſuccedere poſſit, deficientis portio [illegible] reliquis Condominis, *arg. l. un. C.* [illegible] *Imp.*

*ſuc. ſine hæred. dec.* Exempla arcium Ganerbicarum recen-
ſet Schyz. *de ſtat. rei Rom. ex. 9. th. 17.* Schönborner. *pol.*
*lib. 2. c. 11. in fin. E. 9.* Rottenberg prope Norimbergam, cu-
jus arcis Condominos plures ſeptuaginta fuiſſe dicun-
Fridberg in Weteravia immediate ſubjecta Imperatori
quam Domino Feudi: Reifenberg, Gelnhauſen, & re-
qua. Sic etiam ex tali pacto mihi videntur Eminentiſſim.
Elector Moguntinus, Elector Saxoniæ, & Landgravius Haſ.
ſimultaneè adminiſtrare territorium Trefurtenſe in Eisfeld.
& annexam terram, quàm Voigtey appellant, licet fundi Dom-
nus Moguntinus ſit.

## §. XI.

Enarratis hucusque pactorum generibus, quæ de vi-
ventium ſucceſſione fieri ſolent, non abs re erit pacta ill.
paucis hic comprehendere, quæ illuſtres perſonæ ſucceſſio-
nis ordinandæ ratione vel ad ſplendorem familiæ, vel alii
ex cauſis paciſcuntur, alia autem inter frequentiſſimum e-
net pactum Primogenituræ, licet jure gentium approbatam
Primogenituræ introductionem, ejusque finem & originem
ſuperius expendimus; Pacto autem quatenus conſtituitur
brevibus hic videamus; Pactione proinde efficitur, ut pri-
mogenitus ſolus principalem hæreditatem cernat, quam an-
tea inter complures hæredes ex æquo in partes ſecari, & di-
vidi, moris erat; ad convalidandum autem tale pactum
Primogenituræ, & ut vim ſuam ad poſteros etiam transmit-
tat, plura paſſim requirere ſolent autores, quorum aliqu.
ſaltem hic attingere ſtat animo, ſic requirunt, ut ea pacta
fiant prævia communi ordinum Provincialium conſenſu,
quoniam hic agitur de Domini mutatione, Betſius *de pact.*
*fam. c. 9. fol. 706.* Springsfeld. *de Apanag. c. 5. n. 51.* an vero
regulariter jus primogenituræ præcipuè ſtatuum noſtri Impe-
rii à tali conſenſu pendeat? Nolim affirmare, cùm modus
habendi Principatum ab iis non ſit, adeoque nec in eorum
arbitrio poſitum, velintne primogenito, an alteri fidelita-
tem jurare; Georg. Ludolph. *tract. de Introduct. Jur. Primo-*
*gen. p. 8. §. 11. n. 17.* quare ex hoc colligitur, pacta hæc, qui

de-

de [illegible] apud Principes noſtros diſponunt, autoritate Imperatoria eſſe corroboranda; & ejusmodi pacta ſemper [illegible] Cæſarea confirmatione exemplis oſtendit [illegible] *c. 5. n. 19. & ſeqq.* ſcribit quidem Beſold. *l. i. de ſucceſſ. Regi.* [illegible] *n. 17.* frequentiori calculo eſſe approbatum, quod etiam, invito Domino feudi, uni filiorum totus Ducatus vel Marchionatus aſſignari queat, ex conventione agnatorum vel filiorum, modo hoc non fiat in fraudem Domini: quamvis & hic facile obtendere poſſit feudi Dominum ſuâ majori intereſſe, ne ſibi invito alius isque minus idoneus vaſallus obtrudatur.

§. XII.

Introductionis Juris Primogenituræ porro ſubſtantiale [illegible] minoribus fratribus ex proventibus primogeniti debi[illegible], quod Apanagium vulgò vocari, ſupra me[illegible] Licet ergo ea de re nihil fuerit diſpoſitum, ipſo jure [illegible] reſervatum: adeo enim innexa videtur juri [illegible] Apanagii conſtitutio, ut moderatiores [illegible] gentes, niſi quandoque crudelitas ratione [illegible] naturale debitum erga fratres ſucceſſione excluſos [illegible], Ludolph. *Introd. Juri primog.* [illegible] *n. 21.* eſt autem Apanagium proviſio, non pars hæreditatis, quod debetur minoribus fratribus ſingulis, qui etiam moribus Germaniæ titulum familiæ cum dignitate perſonali retinent, Bed. *c. 8.* Speingsfeld. *c. 11. n. 80.* adeo, ut maneant Principes vel Comites Imperii immediati, quantitas autem hujus proviſionis ex pactis, ſtatutis, vel paterno judicio definietur, itidem ex pacto dependet, an in parte terrarum, an pecunia numerata conſtituatur, quinimo moribus Germaniæ non inſolidum, ut in parte Provinciæ aſſignata Juriſdictio, & regalia nonnulla apanagiato concedantur, regulariter quidem omnia ſublimis territorii jura in parte Provinciæ Apanagii loco conceſſa primogenitus ſolus exercet, de quibus pluribus Speingsfeld. *de Apan. c. 6. n. 155. & ſeqq.* Ludolph. *in.* [illegible] Nota, ſi Principes diverſarum linearum [illegible], in ordine Præcedentiæ, ut plurimum ætatis

præro-

prærogativa ſpectatur, ſive ex primogeniti linea, ſive ex alia adſint, Reinking. *de Reg. ſec. & Eccl. l. 1. cl. 4 c. 17. n. 35.* Apanagio ſimile exiſtit Paragium, quod eſt titulus, quo Feudi pars minor à fratribus natu minoribus eorumque poſteris pari jure poſſidetur, ut majori fratri nec fidelitatem debeant, vocatur & alias paragium illa portio, quam filia à ſucceſſione excluſâ, dotis, vel legitimæ nomine capit.

§. XIII.

Inter requiſita Primogenituræ adhuc referunt Betſius *c. 8.* Myler. ab Ehrenbach. *P. 1. c. 21.* ut fiat nondum natis liberis, ne illis, quibus per Nativitatem Jus quæſitum eſt, præjudicetur: ut omnium, quorum intereſt, conſenſus accedat: ut ſubditi promittant ſe non præſtituros juramentum fidelitatis, & ſubjectionis alteri, quam primogenito, & plura. Aliis modis conſtitui poteſt primogenitura conſuetudine ſcilicet, ultimâ voluntate, & ſi quæ alia habet Tiraquell. *de Jur. Primog.* Ludolph. *de Introd. Jur. Primog.* Betſius & alii, quos conſulere in his judico. Dicenda adhuc forent de pactis illis nobilium, quæ occaſione ſaltem ſucceſſionis ventilari poſſent, qualia ſunt jus devolutionis: Unio Prolium: Conjugium ad Marganaticam: Inveſtitura de feudo viventis adhuc vaſalli: Conſtitutio dotis: Renunciationes fœminarum nobilium: Bona reſtitutioni obnoxia, & alia; Sed cùm ſucceſſionem (quæ noſtri inſtituti eſt) non primariò, ſed per conſequentiam ſolum attingere videantur, imponendo Coronidem propoſitæ brevitati conſulere liceat.

*FINIS.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google